



N. 340.







CAROLUS HENRICUS DZONDI

PHIL. MED. ET CHIR. DOCTOR,
MEDICINAE ET CHIRURGIAE PROFESSOR PUBL. ORD.
FAC. MEDICAE ASSESSOR ORD. ET H. T. DECANUS,

PATHOLOGIAE
INFLAMMATIONIS
SYSTEMATUM

CORPORIS HUMANI
SUCCINCTA ADUMBRATIO.

HALAE

SUMTIBUS AUCTORIS
PROSTAT LIPSIAE APUD IOANNEM AMBROSIIUM BARTH.

1828.



ANATOMIE DES MENSCHEN

VON DR. MED. JOHANNES WUNDERLICH

LEHRBUCH FÜR ANATOMIE UND PHYSIOLOGIE
DES MENSCHEN

PATENT

INTELLAMMATIONIS

SYSTEMATUM

CONCORDIA

LEIPZIG

HALLE

VERLAG

DR. MED. JOHANNES WUNDERLICH

1842




CAROLUS HENRICUS DZONDI

PHIL. MED. ET CHIR. DOCTOR,
MEDICINAE ET CHIRURGIAE PROFESSOR PUBL. ORD.
FAC. MEDICAE ASSESSOR ORD. ET H. T. DECANUS,

PATHOLOGIAE
INFLAMMATIONIS
SYSTEMATUM

CORPORIS HUMANI
SUCCINCTA ADUMBRATIO.



HALAE
SUMTIBUS AUCTORIS
PROSTAT LIPSIAE APUD IOANNEM AMEROSIUM BARTH.

1828.



CAROLUS HENRICUS DONDI

PHIL. MED. ET CHIR. DOCTOR
MAGISTRUS ET CHIRURGICUS PROFESSOR TURICENSIS
SAC. MEDICAE ACADEMIAE ORD. P. P. H. B. S. S. S. S.

PATHOLOGIAE

INFLAMMATIONIS

SYSTEMATUM

COMPOSITO H. DONDI

SOCIETATIS



Uh 56

PRAEFATIO.

Tertium nunc, Commilitones, collecta in unum opusculum programmata, quae, data aliquoties mihi Decano scribendi occasione ad indicendas disputationes publice a medicinae candidatis habendas, tribuendosque iis summos Medicinae et Chirurgiae honores, e more maiorum legibusque facultatis medicae conscribere soleo, eo consilio Vobis trado, partim, ut collecta eo tutius praematuram effugiant Libitinam, partim ut propediem edendi secundi libri aphorismorum meorum de inflammatione nuncii sint et praecursores. Continent nimirum hae pagellae succinctam inflammationis variorum corporis humani systematum pathologiae expositionem, eo ordine quo, data scribendi occasione hoc vel illud systema, commodius sese mihi obtulit; quo facto, Candidatorum et programmatum scribendorum numero sensim aucto omnia syste-

mata brevi pertractavi, ultimo loco cutis systema ponens, quod ob incertam et ambiguam adhuc affectionum eius morbosarum naturam minime gratum mihi fuit.

Verum Vos, has pagellas attento oculo per-
 illustrantes haudquaquam fugiet, me potissimum
 in eo singularem posuisse operam ut diversam
 inflammationis indolem et naturam, pro di-
 versa systematum indole et natura curatius et
 naturae convenientius eruere et exponere, quam
 hactenus factum est; quare, spero, fore, ut,
 si quaedam audacius aut vulgari opinioni con-
 traria dicta Vobis videantur, ea non statim
 censura digna existimetis, verum caute et dili-
 genter ad experientiae ammissim appendatis;
 quo facto, multa quae dubia et reprobanda visa
 fuere, Vobis vera et e fida naturae observatione
 hausta esse videbuntur. Valete.

Scribam Halae Saxonum

MDCCCXXVIII.

Dzondi.

PATHOLOGIAE SYSTEMATIS PITUITARIII
SUCCINCTA ADUMBRATIO.

I.

De natura membranarum mucosarum.

Tunicæ mucosæ, — omnia corporis humani cava investientes, quæ extrinsecus aperiuntur et cum integumentis communibus continuum constituunt — e tribus stratis seu lamellis constare solent: corio, quod est profundum, textu papilloso seu villis, qui est medius, et epidermide quæ est summa, verum non in omnibus partibus reperitur.

Membranæ hæc multis scatent glandulis seu cryptis pituitariis, vasisque sanguiferis, paucis vero nervis.

In statu sano magnam pituitæ mitis copiam secernere solent, ad defendendas quippe ipsas cavaque et meatus quos constituunt ab iniuriis externis, tum ex aere tum a rebus ingerendis variis oriundis. Ista pituitæ quantitas in statu sano modo maior, modo minor esse solet, pro vario gradu irritationis quo a rebus externis seu iis quæ per canales, quos formant, transeunt, aut in cavis, quos investiant, continentur, afficiuntur.

Exhalare praeterea solent materias imponderabiles, easque v. c. contagia et fluida aquosa et aetherea resorbere.

II.

De varietate et divisione inflammationis systematis mucosi.

Varia eaque diversa inflammationis mucosae ratio esse solet, pro varia gradus, causae, decursus, complicationis etc. ratione. Praecipuae varietates inflammationum systematis pituitarii, secundum fundamenta dividendi graviora, hae ferre esse videntur.

1. Ratione *gradus* affectiones sunt aut *inflammationes* verae, aut *irritationes inflammatoriae* vulgo subinflammationes dictae. Illae per stadia seu periodos decurrunt, materiamque novam, pituitam morbosam, generant; — hae non nisi inchoantur, et quasi in atrio primae periodis inflammationis mucosae subsistunt, materiamque novam seu *productum* nequaquam generant.

Exempla priorum sunt: *Blennorrhagia urethrae*, *coryza*, *catarrhus pulmonum* et *blepharophthalmo-blennorrhagia* etc.

Irritationis inflammatoriae exempla sunt: *Raucedo faucium* post aliquot dies evanescens, *sternutatio*, *tussis sicca* post refrigerium membranam pituitariam irritans etc.

2. Ratione *causarum* inflammatio mucosa *quantitativa* vel *qualitativa* esse potest. Illa e stimulo quocunque externo et interno iusto magis irritante, fuerit mechanicus an dynamicus oritur; haec non nisi e stimulo specifico, non modo iusto magis irritante, verum functiones systematis mucosi permutante generatur.

Ilius exempla sunt blepharophthalmia catarrhalis, coryza, catarrhus pulmonum etc. Huius vero blemorrhagia syphilitica; blepharophthalmia aegyptiaca; blepharoblennorrhoea syphilitica.

3. *Ratione sedis causae*, inflammatio vel e *causa locali* vel *universali* oritur. Istius exempla sunt blemorrhagia urethrae syphilitica ex infectione locali; blepharophthalmia e causa mechanica, catarrhus vesicae urinae et calculo etc. Huius: coryza e refrigeratione orta, catarrhus pulmonum, et angina e suppressa perspiratione cutis orta etc.

4. *Ratione nexus cum causa*, inflammatio est vel *primaria* s. *idiopathica*, quae a causa propria et proxime gignitur, vel *secundaria* quae vel *sympathica* est ex alia, organi, partis seu systematis contigui inflammatione oriunda vel *metastatica* e suppressa inflammatione partis alius genita. Inflammatio mucosa v. c. coniunctivae oculi, quae a causa mechanica, v. c. acido, pulvere vel muco syphilitico digito ingesto etc. effecta fuit, *primaria* s. *idiopathica* est; inflammatio mucosa vero eiusdem organi, quae ex inflammatione scleroticæ contiguae gignitur, *secundaria* s. *sympathica* est. Inflammatio membranae pituitariae tracheae ex irritatione subitaneae mutationis aeris calidi et frigidi orta, *primaria* s. *idiopathica* est; eiusdem vero membranae inflammatione per inflammationem contiguae membranae fibrosae tracheae e refrigeratione universali cutis ortam, effecta, *secundaria* s. *sympathica* est, v. c. Angina membranacea.

5. *Ratione coniunctionis* causarum inter se inflammatio pituitaria aut *pura* aut *complicata* esse potest. Illa ex una tantum causa v. c. mechanica; haec e duabus aut pluribus oritur. Blepharophthalmitis mucosa a corpore peregrino vel refrigerio, vel syphilitico contagio orta, *pura* est; eadem vero si a his causis simul, aut a refrigerio cum scrophulosa irritatione orta est, *complicata* appellatur.

6. Ratione *organorum simul affectorum* inflammatio mucosa est aut *simplex* aut *composita*. Simplex tum est cum sola membrana mucosa inflammatur, composita vero tum, cum contiguae quoque membranae s. organa, nimirum membranae fibrosae, aut textus cellulosus etc. simul inflammantur. Blennorrhagia urethrae s. urethritis aut cystitis quae solam membranam mucosam afficit, simplex est; quando vero simul membrana fibrosa urethrae aut vesicae urinariae inflammata est, composita dicitur. Hoc valet v. c. etiam de catarrho pulmonum, in quo, cum parenchyma pulmonum simul corripitur, composita est inflammatio, et sic porro.

7. Ratione *decursus* inflammatio mucosa est aut *acuta*, aut *chronica*. Illa tempore legitimo aut breviori, haec longiore decurrit. Acuta rursus est vel *regularis* vel *irregularis*, illa iusto eoque legitimo tempore per dies ter novem decurrit, haec breviori tempore absolvitur.

Exempla inflammationis pituitariae *acutae regularis* sunt: Coryza, blennorrhagia urethrae, et tussis catarrhalis per ter novem dies decurrentes; irregularis eiusdem inflammationes breviori tempore v. c. septem, novem etc. diebus absolutae. Chronicae inflammationis exempla sunt, blepharophthalmia catarrhalis, blennorrhoea urethrae etc. per menses plures durantes etc.

8. Ratione *organorum* inflammationum mucosarum tot, quot organa diversa membranis pituitariis instructa sunt, numerantur; nimirum:

- 1) Inflammatio membranae conjunctivae oculorum, seu blepharophthalmia catarrhalis.
- 2) Inflammatio membranae pituitariae sinuum frontaliu.
- 3) — — — — — nasi seu coryza.
- 4) — — — — — sinuum maxillarium.

- 5) Inflammatio membranae oris v. c. in ptyalismo.
- 6) — — — faucium in cynanche et angina.
- 7) — — — laryngis in angina, catarrho
- 8) — — — tracheae — — —
- 9) Inflammatio pulmonum, in catarrho pulmonum.
- 10) Inflammatio mucosa intestinorum v. c. in catarrho
intestinorum, in Cholera.
- 11) Inflammatio intestini recti etc. in dysenteria.
- 12) — — vesicae urinariae.
- 13) — — vaginae v. c. in fluore albo.
- 14) — — uteri in metrorrhoea mucosa.
- 15) — — urethrae v. c. in blennorrhagia
urethrae syphilitica.
- 16) — — auris??

III.

De causis inflammationis membranarum pituitariarum.

Causa proxima inflammationis membranarum mucosarum in aucta et mutata per stimulum irriterantem vi plastica glandularum pituitariarum seu organorum pituitam secernentium cernitur.

Causae remotae, disponentes et occasionales triplicis generis sunt; nimirum *mechanicae*, *chemicae* et *dynamicae*.

Mechanicae eae sunt, quae tactu rudi membranam pituitariam ita afficiunt, ut aut totius eius structura, aut glandulae solum pituitariae, quibus abundant, inflammantur; prius cum fit, inflammatio composita est, nimirum mucosocellularis. Mechanicis causis adnumeranda sunt primum omnia ea corpora peregrina quae extrinsecus ad membrana-

rum superficiem admoventur, quaecunque demum fuerint, v. c. pulvis, corpora et instrumenta quibus vulnerantur, aeris iniuria et quae in eo et per eum advehuntur, etc.

Deinde omnia ea, quae in cavis et canalibus, quibus inhaerent membranae pituitariae, pro re nata contineri et moveri solent, v. c. lacrymae in oculo, cibi in ore, stomacho et intestinis, urina in vesica etc.

Chemicæ causae eae appellantur, quae pro mixtionis indole, qua pollent, nimis membranas irritant, de his ratione diversitatis in genere idem valet, quod de causis mechanicis dixi: aut *extrinsecus* admoventur v. c. acida, caustica, flamma, aqua fervida, vapores acres etc. aut in cavis ipsis continentur, v. c. fluida, gasa etc.

Dynamicae causae, quae vi quadam insita nobis incognita agunt, duplicis generis sunt, aut *locales* aut *universales*.

Locales seu eae, quae non nisi in affecta parte haerent, vel extrinsecus irruunt, uti aeris subita mutatio, contagia, miasmata, venena, etc. vel in ipsis cavis et canalibus membranis pituitariis obductis reperiuntur, v. c. pituita, lacrymae, urina, contenta intestinorum etc.

Universales seu eae, quae directe s. proxime totum organismum afficiunt; et secundarie membranas mucosas irritant et ad inflammationem excitant, extrinsecus irruunt et fere semper e suppressa perspiratione cutanea, aut pulmonum oriuntur; ac non modo membranas mucosas, sed simul etiam totam corporis machinam afficiunt. Hoc modo per stimulum scorium e suppressa per refrigerationem cutis perspiratione gignuntur coryza, blepharophthalmia catarrhalis, catarrhus pulmonum, angina faucium, angina membranacea, dysenteria, cholera morbus, catarrhus vesicae urinariae, fluor albus etc.

Interdum etiam causae universales in ipso corpore latent v. c. in scrophulis.

IV. *De irritatione inflammatoria membranarum pituitariarum.*

Irritationis inflammatoriae s. subinflammationis natura cer- nitur in affectione abnormi membranae mucosae per stimulum effecta, qua naturalis eius functio ita mutatur ut inflammari incipiat, verum ne primum quidem stadium absolvat.

Causa eiusmodi imperfectae inflammationis aut in sti- mulo inflammatorio irritante, aut in organo seu membrana pituitaria irritata latet, aut in utrisque. Ille non satis fortiter irritat, haec non satis fortiter ad agendum commovetur.

Symptomata irritationis inflammatoriae sunt incipientis inflammationis, quae pro indole organi, cui adhaeret mem- brana pituitaria, paululum differunt. In genere sensibilitas aucta, pituitae secretio imminuta esse, caeterum neque do- lor gravior, neque rubor valde conspicuus neque tumor ad- esse solent.

Caeterum pro vehementia et natura stimuli irritantis, nec non pro constitutionis, valetudinis status, externaque con- ditionis ratione symptomata varia atque diversa esse solent etc. Interdum febris accedit.

Quando membranae pituitariae stimulo scórico univer- sali aut locali irritantur, materias secernunt abnormes, quae pro naturali et legitima functione secernere nequaquam so- lent. Vicarias nimirum tunc cutis functiones suscipere vi- dentur. Sunt autem materiae, quas tum secernunt, hae:

1. *Lympha aquosa*, nec exigua copia, et quidem tam cito ut eodem fere temporis momento, quo irritantur, se- cretio lymphae profusa incipiat. Exempla sunt profluvium lymphae e naribus tum, cum frigus hieme cutem faciei irri-

tat. Profluvium aquosum ex ano — diarrhoea aquosa — tum cum aer frigidus abdomen vestibus nudatum afficit etc.

2. *Aer vel Gas* magna interdum copia, et per longum tempus, plures dies. Exemplo esse potest secretio et accumulatio aeris in ventriculo, indeque effecta extensio violenta et dolorifica, ructusque continui, tum cum suppressa perspiratione cutis, membrana pituitaria ventriculi stimulo scorico irritatur; quod etiam tum locum habet, cum per compressionem intestini cuiusdam in hernia compressa (in-carcerata), ventriculus irritatur. Idem observatur in Meteorismo et Tympanitide. Aliae quoque membranae exhalare solent interdum gas, v. c. uterus mulierum tum cum cutis legitima functio turbatur. Vesicae urinae cavum licet raro, interdum tamen gas exhalare repertum est.

3. *Sanguis* non raro, magna copia et repetitis vicibus e membranis pituitariis excernitur, quando perspiratio cutanea refrigeratione suppressa stimulusque inde exortus est scoricus. Eiusmodi haemorrhagiae non raro pertinacissime remediis consuetis haemostaticis resistunt, vitaeque periculum minantur, quid? quod non raro exitiales evadunt.

Exempla huius profluvii sanguinis e membranis pituitariis sunt: Haemorrhagiae narium post refrigerationem quales vidi periculosas per tres dies continuos durantes vitaeque periculum minantes; haemorrhagiae uteri eadem de causa, potissimum statim post partum. Haud raro enim accidit, ut inter pariendum partes corporis imprimis abdominalis et inguinalis regio, femuraque refrigerentur; quo fit ut periculosae haemorrhagiae oriantur, non raro cito funestae, quippe quae — causa non cognita nec remediis perspirationem revocantibus sublata — remediis vulgo adhibitis sisti nequeunt.

Vidi etiam alio tempore haemorrhagias menstruales mulierum eadem de causa tam frequenter et profuse recurrere

omnibusque remediis pertinaciter resistere, ut funestus exitus quotidie metueretur; quibus tamen balnea calida et sudorifica medelam exoptatam tandem attulerunt.

Eiusmodi haemorrhagiae eadem a causa profectae e pulmonibus, e ventriculo, ex intestinis et e vesica urinaria interdum oriri et periculum minitari mortemque afferre solent, nec alia nisi methodo diaphoretica curantur.

4. Alias quoque materias singulares, praeter pituitam morbosam vario calore conspicuam, quam in periodo secunda inflammationis secernunt, — de qua infra — irritatae stimulis inflammatoriis potissimum a turbata functione cutis et pulmonum prodeuntibus, secernere solent.

Exemplo esse possunt, materia grisea in Cholera morbo; materia brunnea Coffeae instar in febre flava; materia nigra in typho et in morbo nigro Hippocratis; materia alba in haemorrhoidibus albis mucosis.

Huc pertinet etiam pus in inflammatione phlegmonode, et materia puriformis in aphthis; praeterea etiam materias solidas irritatae generare solent. Exemplo esse possunt coagula lymphatica in angina membranacea, et inflammationibus quibusdam intestinorum, nec non excrescentiae fungosae, condylomata, cristae; potissimum vero concrementa polyposa varii generis, quae in omnibus, nec nisi in membranis mucosis offendimus. De quibus infra.

De acuta idiopathica systematis pituitarii inflammatione.

Membranae pituitariae haud raro inflammantur, potissimum stimulis scoricis a turbata cutis perspiratione oriundis.

Affici solet vulgo pars seu organon id, quod aut dispositione inflammatoria laborat, aut minus valet. Omnium frequentissime nasi membrana pituitaria affici solet.

Inflammatiō membranae cuiusdam mucosae stabilis est, nec ad alias membranas pituitarias cum ea non cohaerentes migrat. Serpere tamen ad vicinas cohaerentes membranas easque irritare et leniter, neutiquam vero prorsus inflammari solet. Exemplo esse potest coryza vehementior, quae simul oculorum, sinuum frontaliū et maxillarium, quid? quod et faucium, tracheae et pulmonum membranas pituitarias per aliquot dies irritat ita, ut symptomata subinflammationis in iis conspiciantur.

Symptomata inflammationis pituitariae vulgo mitiora esse solent, nisi forte ad organa contigua, membranas fibrosas transeat inflammatio.

Legitimum regularis decurrentis inflammationis membranae mucosae tempus est ter novem dies. Mitiores inflammationes interdum breviorē tempore finiuntur.

Productum eius inflammationis est pituita morbosa, non modo quantitate sed etiam qualitate a sana diversa.

Sequelas habet varias, Exulcerationes, Indurationes, Tumores, Excrescentias, Aphthas, Condylomata, Polypos etc.

Male curata, aut chronica fieri aut ad alia organa migrare solet.

Haud raro vicario modo pro cute fungit.

Interdum inflammatio in alio vicino organo, membrana nimirum fibrosa sedem suam habens, in pituitaria sese manifestat symptomatibus mixtis, imperitosque in cognoscenda sua natura fallit.

Inflammatio systematis mucosi acuta tribus stadiis decurrit, quorum primum a sesundo facile distinguitur, secundum vero a tertio non item.

Stadium primum.

Spatium primi stadii aliquot dierum vulgo esse solet, interdum brevius interdum longius, pro ratione dispositionis nec non stimuli vehementiae et organi affecti, contra stimulum agentis.

Symptomata sunt vel *localia* vel *universalia*, in genere quidem in omnibus organis eadem, pro peculiari tamen cuiuscunque organi indole paulo diversa.

Localia: *Calor* naturalis, *intensior*, *sensibilitas aucta*, quae pro peculiari organi cuiuscunque indole diverso modo sese manifestat; in nasu v. c. sternutationibus; in oculo sensu ingrato luce consueta excitato; in larynge et pulmonibus tussi; in genitalibus titillatione et sensu non ingrato voluptatis; in intestino recto et vesica urinaria tenesmo etc.

Sensus molestus pressus, *dolor* mitis idemque obtusus, qui interdum gravior evadit, pro ratione organi et vehementiae inflammationis, nec non affectionis sympathicae organorum adiacentium aut contiguorum, scilicet membranae fibrosae v. c. in urethra, vesica urinaria etc. *Rubor* vividior, *tumor* haud multum conspicuus, interdum tamen maior, potissimum cum membranae fibrosae contiguae simul affectae sunt.

Secretio pituitae imminuta, et interdum prorsus suppressa, indeque orta membranarum siccitas.

Omnia haecce symptomata calore, motu, rebusque excitantibus augentur.

Universalialia symptomata non nisi tum observantur, cum inflammatio paulo maioris vehementiae, aut stimulus inflammatorius universalis est. Symptomata tunc febrilis indolis sunt et in nervoso potissimum systemate conspicua, v. c. dolor capitis, coenaesthesia mutata, horripilationes etc., interdum etiam systema sanguiferum afficitur, et haemorrhagiae, pulsus pleni, fortes, turgor vitalis auctus etc. observantur.

Stadium secundum.

Secundum stadium, ab illo inde momento temporis incipit, quo pituita pathologica seu morbosa secerni coepit, et durat ad eum usque diem, quo inflammatio decrescere mucique secretio imminui incipit. Bis septem vulgo dies.

Symptomata localia haec fere sunt: *Calor, sensibilitas aucta, rubor, dolor et tumor continentur*, dolor interdum augetur pro ratione organi affecti et partium contiguarum; in urethra v. c. dolor interdum lancinans, pungens, urensque est, in pectore comprimens, in oculis urens etc.

Primarium et idiopathicum huius periodi symptoma est *secretio pituitae morbosae* uberior. Pituita illa non modo copia maiori quam in statu sano secernitur, sed colore etiam et odore differt, illa enim flavior et interdum grisea et subviridis esse solet.

Praeterea *singulari pollet qualitate inficiendi*, i. e. similem inflammationem in membranis pituitariis aliorum hominum provocandi.

Ista qualitate non pituita ipsa solum, sed etiam halitus eius pollet; aetherae ergo naturae est illud principium morbosum pituitae, quo infectio non modo per contactum sed etiam per fomitem et in distans fieri potest. Nec opus est ad infectionem totius membranae pituitariae alicuius organi, ut per totam superficiem eius diffundatur pituita morbosa, sed sufficit ut pars parva ea tangatur. V. c. dummodo orificium urethrae in coitu mucu illo contagioso tangatur, tota membrana pituitaria urethrae inflammatur; et ad dysenteriam — inflammationem quippe tunicae mucosae intestini recti inserendam — sufficit ut orificium ani halitus mucii istius morbosus attingatur etc.

Si inflammatio ad maiorem evehitur vehementiae gradum, potissimum per mucii retenti corrupti irritationem v. c. in oculis infantum durante blepharoblennorrhoea; aut remedia perversa v. c. per iniectiones in urethram durante blennorrhagia: inflammatio ad parenchyma ipsum membranarum mucosarum serpit, usque cum pituita secernitur, aliaequae sequelae ingratae oriuntur.

Si profluvium pituitae in hoc stadio repente v. c. refrigeratione aut remediis stypticis etc. supprimitur, inflammationis stimulus ad alias partes vicinas migrat, morbosque metastaticos provocat. Exempla sunt: *Leucomata* corneae post suppressam per styptica ophthalmiam catarrhalem acutam in stadio secundo; inflammatio cerebri, surditas, coecitas etc. post suppressam repente coryzam; inflammatio testiculi post suppressam blennorrhagian iniectionibus stypticis, aut remediis balsameis internis. Inflammatio pulmonum s. pneumonia, post suppressum catarrhum pulmonum etc.

Interdum aliae etiam sequelae post suppressam blennorrhagian in hoc stadio oriuntur, v. c. exerescentiae, polypi coarctationes, de quibus infra.

Maiores vehementiae gradus inflammationis in hoc stadio symptomatibus universalibus stipatur, quae febris catarrhalis nomine notae eiusque fere indolis modo gravioris sunt, cuius ea quae in primo stadio recensuimus; potissimum quando organorum nobiliorum mucosae tunicae inflammatae sunt.

Stadium tertium.

In stadio tertio, quod a momento, quo inflammatio mitigatur, incipit, et ad perfectam usque pituitae profluvii cessationem durat, eadem fere symptomata observantur, quae in secundo stadio sese ostendunt, mitiora modo sunt, et sensim sensimque diminuuntur prorsusque tandem cessant. Bis circiter septem diebus hoc stadium absolvitur.

Pituitae profluvium sensim quidem minuitur, verum in toto hoc stadio adhuc indole illa inficiendi pollet, versus finem colore limpidiore insignitur pituita, maiorique tenacitate.

Quodsi inflammatio acuta systematis mucosi in hoc stadio remediis nimis debilitantibus curatur, facile indolem chronicam induere profluvium pituitae iustoque longius durare solet.

Suppressio repentina profluvii pituitae in hoc quoque stadio metastaticas inflammationes, aut alias sequelas ingratas efficit.

VI.

De sympathica systematis mucosi inflammatione.

Sympathica systematis mucosi inflammatio ea est, quae ab inflammatione systematis contigui seu membranae subiacentis originem trahit. Iam cum membranae contiguae pitui-

tariis fibrosae sint, patet, inflammationes pituitarias sympathicas proprie fibrosas esse, quarum revera simul et naturam et symptomata habent, earumque medelam requirunt. Compositae ergo simul sunt hae inflammationes et symptomata utriusque mucosae et fibrosae inflammationis coniungunt. Verum differunt etiam ab utraque et ab idiopathicis inflammationibus membranarum mucosarum sese distinguunt per sequentia momenta:

1. Stadiis tribus legitimis non decurrunt, neque
2. ter novem dies, sed modo diutius modo brevius durant.
3. Repente irruunt, et statim profluit a primo initio pituita, nullo praegresso primo stadio.
4. Repente vero etiam blennorrhagia, cessante causa, cessat, v. c. si vesicatorio stimulus scoricus a membrana subiacente fibrosa vesicae urinariae tollitur, repente profluvium pituitae, licet fuerit quam maxime profusum, cessat.
5. Irregulares sunt, intermittentes interdum, aut remittentes aut periodicae; neque stabiles ut idiopathicae sunt, sed interdum repente ad alia organa migrant.
6. Tuto ergo supprimi potest profluvium pituitae, remediis causam tollentibus, nimirum systema fibrosum afficientibus, nequaquam mucosum.
7. Symptomata quae cum fibrosis communia habent, sunt: dolor urens, lancinans, pungens, saepe vagus s. instabilis, locum mutans, interdum fixus, interdum intermittens, et cum erethismo coniunctus.
8. Si membranae fibrosae quibus inhaerent pituitariae, mobiles sunt, v. c. in palpebris, larynge, trachea, vesica urinaria etc. spasticae contractiones semper fere cum iis inflammationibus coniunctae sunt, v. c. in blepharoblennor-



rhoëa neonatorum, in angina membranacea, cystitide etc. Res notatu dignissima hucusque minus cognita!

9. Non raro inflammatio fibrosa idiopathica pituitaria sympathicam generans, eius productis morboris, pituitae puta — indolem suam impertit, efficitque ut fluiditatem amittant solidamque naturam induant, v. c. in angina membranacea; in ozaena fibroso-mucosa, in enteritide fibroso-mucosa; eadem ratione polypi quoque generari videntur. — Observatio aequè notabilis neque nota.

Exempla huius inflammationis sunt: Ophthalmia mucosa sympathica, seu mucoso-fibrosa scorica, (vulgo rheumatico-catarrhalis; Tracheitis mucoso-fibrosa s. angina membranacea; phthisis laryngea et trachealis; Cystitis mucoso-fibrosa, Elytritis mucoso-fibrosa, urethritis mucoso-fibrosa; ozaena mucoso-fibrosa; enteritis mucoso-fibrosa.

Causae harum inflammationum fere semper stimuli scorigi sunt, e turbata perspiratione cutis oriundi.

VII.

De chronica systematis mucosi inflammatione.

Inflammatio systematis mucosi chronica ea est, quae spatium ter novem dierum excedit.

In omni stadio inflammatio indolem chronicam assumere potest.

In quo stadio chronica fit, eius symptomata ostendit.

In primo ergo stadio, si chronica fit, erethismus seu sensibilitas aucta, pituitae secretio imminuta, rubor calorque paululum intensiores, dolor interdum premens, obtusus etc. observantur

Exempla huius inflammationis sunt: Tussis sicca ab inflammatione chronica membranae mucosae pulmonum; ophthalmia sicca, tenesmus intestini recti ex inflammatione chronica tunicae mucosae eius etc.

Quodsi in secundo et tertio stadio chronicam indolem induit, profluvium pituitae durat iusto longius et interdum per plures menses, quid? quod annos; verum vim inficiendi non habet. Symptomata caeterum fere eadem sunt, quae acutae competunt, modo mitiora. Idiopathicae et sympathicae inflammationes mucosae chronicae fieri possunt.

Exempla huius inflammationis sunt: Blepharoblenorrhoea chronica, coryza chronica, catarrhus laryngis aut pulmonum chronica; Blennorrhoea urethrae, vaginae, uteri et intestinorum chronica, cystitis mucosa chronica etc.

VIII.

De sequelis inflammationis systematis pituitarii.

Sequelae inflammationum mucosarum eae sunt mutationes morbosae, quae casu ex iis oriuntur, et differunt a productis earum eo, quod haec a qualibet inflammatione legitime decurrente necessario pro natura sua generantur; illae vero non nisi casu et accedente irregulari quadam affectione insequuntur. Pituita v. c. est productum et quasi fructus inflammationis mucosae, nam a qualibet inflammatione membranae mucosae generatur; condyloma vero est sequela fortuita, quoniam non a qualibet inflammatione pro natura sua generatur, sed ab alia causa, fortuito accedente gignitur.

Sequelae autem haec observantur:

1. *Exulcerationes.* Pus raro quidem seceratur ex inflammatis membranarum pituitariis et non nisi tum, cum aut

B

vulnerantur, aut mucō retento eoque corrupto afficiuntur; aut inflammatio pro summa vehementia parenchyma et ipsam structuram tunicae corripit; aut perverse iniectionibus nimis irritantibus etc. curantur etc. Secernitur tamen pus si hae et aliae causae adsunt et diutius secretio durat, membranae exulceratione prorsus aboliuntur, et concretiones oriuntur; huc referendae sunt etiam aphthae et gangraena, phthisisque e suppuratione diuturna oriunda.

2. Coarctationes et concretiones partiales quid? quid et totales, seu atresiae, v. c. concretio palpebrarum, ankylosis; narium, meatus auditorii; veli penduli cum faucibus, genarum cum gingivis etc., coarctationes et concretiones oesophagi, intestinorum, urethrae, intestini recti, vaginae.

3. *Indurationes*, et aucta crassitudo membranarum inter sequelas iure numerantur, licet raro observentur. Locum tamen habent v. c. in palpebris, in ectropio senili et aliis; in naribus, vesica urinaria etc.

4. *Scirrhi et Carcinomata* non raro oriuntur in parenchymate subiacente, praesertim in gingivis, in ventriculo, in orificio et cavo uteri, in intestino recto etc.

5. *Excrescentiae* variae, fungosae, carnosae, cartilagineae etc., v. c. in oculo, in naribus, in auribus, in genitalibus, in intestinis, in intestino recto, vesica urinaria, vagina, utero etc.

6. *Polyporum* tandem cohors, qui in omnibus tunicis pituitariis occurrunt, et varii indolis modo mucosi modo carnosae et cartilagineae sunt, v. c. in oculis, naribus, auribus, faucibus, oesophago, ore, pulmonibus, intestinis, utero, vagina, urethra etc.

Causa harum anomalium fere semper inflammatio sympathica et composita est, saepissime a turbata cutis functione oriunda.

PATHOLOGIAE
SYSTEMATIS SEROSI
BREVIS ADUMBRATIO.

I.

*De natura et functionibus systematis
serosi.*

Systema serosum constat e membranis tenuibus, cava clausa quae cum aere non communicant et omnia in illis contenta intestina, investientibus.

Membranae istae serosae constant ex una tenui lamella quae intime cum partibus contiguis cohaeret.

Tunicae illae serosae vasis exhalantibus et resorbentibus scatent, quae neque cultro anatomico praeparare, neque oculo licet armato cernere licet.

Vasa sanguifera in illis non animadvertuntur oculis, et vix ac ne vix quidem nervorum ramificationes.

Organa secretoria quibus scatent, vaporem mitem exhalant, qui superficiem cavorum et intestinorum in iis contentorum lubricam praestat, liberum motum tuetur et cavet, quominus intestina cum parietibus cavorum et inter se condescant.

Organa resorbentia membranarum serosarum fluidum, quod e vapore exhalato constat, resorbent.

In statu sano hae diversae functiones exhalationis et resorptionis aequales sunt ita, ut vasa resorbentia tantum resorbeant quantum exhalatur ab exhalantibus.

Verum invenitur tamen in statu sano etiam copia quaedam exigua maior aut minor lymphae aquosae in cavis tunicis serosis vestitis.

Simulac plus exhalatur quam resorbetur aut minus resorbetur quam exhalatur membranae aegrotant.

II.

De varietate et diversitate inflammationis systematis serosi.

Inflammatiō systematis serosi tam varia nequaquam est, quam inflammatiō mucosi systematis. Primariae differentiae hae sunt:

1. *Ratione causae* inflammatiō serosa est vel *quantitativa*, vel *qualitativa*.

Exempla quantitativae inflammationis serosae sunt: Iritis serosa a causa mechanica orta; Enteritis serosa a vulnere, a hernia compressa; Hydrocele a contusione.

Exemplum qualitativae inflammationis serosae est: Iritis serosa syphilitica;

2. *Ratione nexus causae cum organo inflammato* inflammatiō serosa est vel *idiopathica* vel *sympathica*. Exempla prioris sunt: Pleuritis a contusione pectoris, arachnitis a commotione cerebri etc. posterioris: pericarditis serosa per inflammationem fibrosae tunicae pericardii effecta; Iritis serosa per inflammationem sclerotices genita etc.

3. *Ratione decursus inflammationis* serosa est vel *acuta*, vel *chronica*. Istius exempla sunt: Iritis quae aliquot diebus elapsis exsudationes lymphaticas gignit etc. huius: Iritis quae per hebdomades durat, nec lympham plasticam generat etc.

4. Ratione *sedis causarum* esse potest vel ab *externa* s. locali, vel ab *interna* s. universali causa orta. Illa v. c. e laesione oritur, haec a metastasi, exanthemate, erysipelate etc. repercussa etc.

5. Ratione *coniunctionis* causarum inter se inflammatio serosa est aut *pura* aut *complicata*. Illa ab una tantum causa v. c. mechanica, haec a duabus aut pluribus simul profecta est. Iritis traumatica a vulneratione orta, *pura* est; Iritis vero a vulneratione et contagio syphilitico simul profecta, *complicata*.

6. Ratione *organorum simul affectorum* inflammatio aut *simplex* est aut *composita*. Simplex tum est cum sola membrana serosa inflammatur, composita vero si sub- aut adiacentes partes simul inflammatione corripiuntur. Arachnitis v. c. a metastasi orta, integris caeteris encephali partibus *simplex* est, Arachnitis vero a commotione cerebri profecta et cum inflammatione piaë matris aut cerebri simul coniuncta, *composita* est.

7. Ratione *organorum* inflammatio serosa esse potest:

- a) Inflammatio piaë matris exterioris, Meningitis serosa.
- b) — — — ventriculorum cerebri.
- c) — Arachnoideae, Arachnitis.
- d) — tunicae serosae medullae spinalis, Myelitis serosa.
- e) — Iris, Iritis serosa.
- f) — pleurae, Pleuritis serosa.
- g) — cordis serosa, Carditis serosa.
- h) — pericardii serosa, Pericarditis serosa.
- i) — peritonei, Peritonitis serosa, v. c. puerperarum.
- k) — tunicae vaginalis testis, Hydrocele inflammatoria.

III.

De causis inflammationis systematis serosi in genere.

Causa proxima ab ipsa inflammationis natura non discrepat.

Causae remotae, disponentes et occasionales triplicis generis sunt: *mechanicae*, *chemicae*, *dynamicae*.

Ad *mechanicas* causas laesiones omnis generis, commotiones, contusiones, ictus, lapsus, herniae compressae, vulnera, nec non corpora peregrina, quae per vulnera in cava tunicis serosis circumdata ingeruntur, v. c. sanguis in laesione pulmonum, faeces per vulnera intestinorum effluentes, festucae aut frustulae ossium in laesionibus cranii et sic porro. Huc pertinent etiam operationes, v. c. cataractae extractio, pupillae formatio, paracentesis abdominis, affluxus et accumulatio sanguinis in peritoneo, post emissam aquosam lympham in ascitide ob tensionem integumentorum repente sublatam.

Ad *chemicas* causas referendae sunt omnes materiae, quae per vulnera in cava ingeruntur, v. c. gasa, urina, faeces etc.

Dynamicae causae vel *locales* vel *universales* sunt. Ad *priores* pertinent v. c. tinea capitis subito repressa; irritatio oculi per lucem post tenebras subito irruentem, solis radii in caput nudum diutius cadentes. Ad *universales* referendae sunt: Suppressae se et excretiones naturales, et morbosae, istae v. c. sunt, perspirationis, sudoris, menstruationis, lactis, lochiorum etc. suppressio: *hae* exanthematum, impetiginum, erysipelatis, sudoris pedum etc., suppressio, porro vigiliae nocturnae continuae, ira etc.

IV.

De acuta idiopathica inflammatione systematis serosi.

Inflammationis systematis serosi decursus brevi tempore absolvitur, paucisque diebus id quod generare solet, lympham putam plasticam, secernitur.

Symptomata eius in genere mitioris indolis esse solent.

Facile ab una membranae parte ad vicinas progreditur, et universum mox corripit cavum in quo extenditur.

Tunicae serosae quando inflammantur cum aliis eiusdem indolis membranis contiguas facillime concresecunt, ope nimium lymphae plasticae exsudatae.

Sequelae inflammationis membranarum serosarum v. c. collectio seri aquosi, s. hydrops, exulceratio, incrassatio, ossificatio, destructio etc., a *producto*, lympham plasticam putam, probe distinguendae sunt. Hae necessario et semper ab inflammatione generantur, illae non nisi casu et fortuito eam sequuntur.

Ad alia vicina et contigua organa haec inflammatio raro transit.

Haud facile reprimitur nec metastases facit.

Inflammatio tunicarum serosarum tribus quidem stadiis legitime decurrit, verum haud raro pro re nata non nisi duo distingui possunt.

Inflammatio vasorum exhalantium ab inflammatione vasorum resorbentium distingui non potest.

Primum stadium.

Temporis spatium quo serosa inflammatio decurrit tri-duum non excedere videtur.

Symptomata localia eius sunt: *dolor mitis, obtusus, premens, continuus, diffusus, fixus, stabilis, profundus;*

interdum urens; Calor paululum auctus; Rubor intensus, vividior et saturatus instar panni rubicundi. Conspicitur vero rubor non nisi tum, cum cava aperiuntur. Tumor exiguus et fere nullus interdum.

Superficies membranarum iusto siccior esse solet, propter imminutam halitus serosi exhalationem.

Caeterum probe notandum est, inflammationem membranarum serosarum non nisi tum tam mitibus decurrere symptomatibus, cum simplex, nec cum inflammatione partium adiacentium coniuncta sit. Iritis v. c. simplex lenissime decurrit, nec ullo fere dolore conspicua; verum quando cum inflammatione tunicae scleroticæ coniuncta est, dolores acerbissimi esse solent. Hoc valet etiam de aliis membranarum serosis, v. c. de Arachnoidea, quæ, cum inflammatur, gravioribus haud raro symptomatibus in primo stadio decurrit ob sympathicam aliarum membranarum aut ipsius cerebri inflammationem. Nam quando simplex est, symptomata aequè lenia esse solent ac in caeteris huius systematis inflammationibus.

Quaelibet praeterea membrana serosa cavi peculiaris, propriis symptomatibus se distinguit, pro singulari quæ pollet indole et functione, organorumque cum quibus coheret, natura et functione, alia v. c. in Arachnide, alia in pleuritide, alia in peritonitide etc., symptomata peculiaris, praeter ea, quæ omnibus communia sunt, observantur. Pleuritis v. c. tussi sicca.

Notandum quoque est causas non modo, a quibus ortæ sint inflammationes sed etiam constitutionem et statum valetudinis hominis affecti ad mutandam symptomatum faciem non parum conferre. In iritide v. c. syphilitica symptomata quidem in genere characterem inflammationis expriment, verum varie et peculiari ratione ab inflammatione pura differunt. — Et in febre puerperarum, cuius natura in peritonitide serosa cernitur, symptomatum character in genere serosæ inflammationis præsentiam indicat, verum varie tamen differt ab iis, quæ puræ et simplicis peritonitidis esse solent.

Quod de primo stadio dixi, de secundo quoque et tertio si cognosci potest, valet.

Symptomata universalia nunquam abesse solent, si organorum nobiliorum tunicae serosae inflammantur, potissimum organorum cranii, thoracis, columnae vertebralis et abdominis; solentque fere semper tum nervosae indolis esse, minus magisque vehementiora pro natura organorum in quibus conspiciuntur, v. c. dolores capitis, coenaesthesia mutata, febris, deliria, urina rubricunda, nausea, vomitus etc.

Alia symptomata praeterea inflammationes serosae sympathicae habent; de quibus infra.

Secundum stadium.

Secundum stadium inflammationis systematis serosi ab illo inde momento incipit, quo lymphæ plasticae secerni coepit, et aliquot, tres circiter dies et ulterius durat.

Symptomata localia ab iis quae primi stadii esse dixi, non multum differunt. *Calor fere idem, nec dolor multum diversus*, nisi quod progrediente hoc stadio *decrescere* potius quam augeri solet; rubor fere non mutatur.

Symptoma vero quo a primo stadio potissimum differt, est: *secretio aucta et mutata*. Secernitur nimirum *lymphæ plastica*, quae modo *fluida*, modo *spissa et compacta* esse solet pro natura et conditione organorum quibus insident tunicae serosae non minus, quam pro gradu et causa inflammationis; nec non constitutione et valetudine aegroti.

Exemplo esse potest secretio lymphæ plasticæ in margine iridis quae pupillam format, qua facile pupillae concretio oritur; haec lymphæ fluida non est.

In peritonitide puerperarum vero lymphæ plastica non raro fluida magis est, aut saltem floccosa.

In hominibus dispositione scorbutica aut dyscrasia mercuriali laborantibus, lymphæ plastica fluida esse solet, in iis vero qui fortiore corporis constitutione utuntur, spissa et solida.

In hoc stadio haud raro ista lympha plastica firmiter unire solent organa contigua ita ut concrecant, mobilitatemque nativam in illa parte perdant, v. c. pulmones cum pleura et diaphragmate; arachnoidea cum dura et pia matre, iris cum lente et cornea, cor cum pericardio, intestina inter se, cum perinaeo et cum annulo abdominali etc.

Interdum lympha fluida inter organa diu per plasticam lympham concreta colligitur in loco quodam; quae collectiones *Empyemata* dicuntur; et nequaquam pus sed lympham plasticam continent, v. c. inter arachnoideam et piam matrem, inter pleuram et pulmones etc.

Accidit quoque ut ligamenta lata et crassa ex illa lympha plastica solida formentur potissimum in cavo abdominis, quibus intestina haud raro misere comprimuntur et strangulantur.

In lympha illa plastica, quae organa unit, successu temporis vasa oriuntur.

Symptomata universalia in genere ea fere sunt, quae stadii primi; haud raro vero multo graviora, tum nimirum cum inflammatio ad organa contigua transit, aut concretionem functiones difficiliorem reddunt, impediuntur; quid? quod prorsus tolluntur, v. c. quando cor cum pericardio aut intestina inter se et cum peritoneo concrecant etc.

Stadium tertium.

Stadium tertium non nisi in illis inflammationis systematicis serosi formis observatur, in quibus membranae serosae invicem non concrecant. Etenim ubi concretio locum habet, inflammatio in secundo stadio finitur.

Quando vero accumulatio lymphae plasticae absque concretionem, aut cum partiali modo concretionem locum habet, stadii tertii decursus diversus esse solet, pro diversa organorum affectorum, aegrotique valetudinis constitutionisque ratione;

Etenim *lymphæ plastica fluida*, productum *secundi stadii*

1. aut *exitum sibi ipsa, sine artis auxilio*, per *musculos et integumenta communia parat*, quod ita perficit, ut *inflammationem in partibus his externis cieat*, qua fit, ut *sensim resorbeantur, aperiuntur et lymphæ liberum profluvium munient*. Hoc v. c. locum habet in *empyemate abdominis et interdum etiam thoracis, nec non in peritonitide puerperarum fausto exitu coronatarum, verum raro*;

2. aut *naturæ ope includitur lymphæ plastica morbosa, v. c. inter pleuram et pulmones*; quod hoc modo fieri solet: *Uniuntur atque concresecunt membranæ pleuræ et pulmonum sensim circumcirca, quo fit, ut coarctetur lymphæ in unum locum, ibique aut per longum tempus tranquilla maneat aut ex parte aut prorsus resorbeat*. Est quippe

3. *resorptio lymphæ plasticæ tertia methodus, qua natura productum morbosum, lympham plasticam ita e sphaera organismi eliminat, ut ab illa turbari nequeat*. Apparet *saepius in loco illo, quo resorptio locum habuit, membrana albicans, crassa, spissa, dura tenaxque vasis sanguiferis distincta, partesque firmiter uniens; aut, si resorptio partis fluidæ lymphæ facta fuerat ante seclusionem: adhaesiones parvulae aut filamenta minora maioraque animadvertuntur, quibus intestina inter se aut cum peritoneo; aut pulmones cum pleura etc. cohaerent*.

V.

De sympathica systematis serosi inflammatione.

Sympathica membranarum serosarum inflammatio ab inflammatione partium adiacentium proficiscitur. Iam cum haec ubique fere *fibrosæ tunicae sint, patet naturam huius inflammationis compositam et simul fibrosam esse*. Quod optime ex oculo intelligi potest, *simplex enim iritis, uti*

supra dictum est, mitissimis symptomatibus et nullo fere dolore decurrit; Iritis vero ab inflammatione tunicae scleroticae profecta, seu, quod idem est cum ophthalmitide universali coniuncta, semper acerbis doloribus stipata esse solet. Hoc valet etiam de aliorum organorum inflammatione serosa sympathica, v. c. de pleuritide fibroso-serosa; enteritide et peritonitide fibroso-serosa, v. c. in peritonitide puerperarum.

De hac inflammatione valet id quod in inflammatione composita observatur, nimirum symptomata utriusque systematis, fibrosi et serosi sese ostendunt. Verum, cum fibrosae inflammationis symptomata multo graviora et vehementiora sint, dolor potissimum acerbus, tumor haud exiguus, et imprimis nervorum systema mox simul afficiatur: symptomata inflammationis serosi systematis, vix ac ne vix quidem distingui possunt, et de eius praesentia non nisi tum constat, cum productum, lympham plasticam, sese ostendit. Excepta tamen iride in qua coloris mutatio inflammationis praesentiam indicat.

Quod de sympathica inflammatione serosi systematis e fibrosa oriunda dixi, hoc valet etiam de sympathica inflammatione serosarum tunicarum, v. c. meningum, quae e cerebro eiusque inflammatione originem ducit. Huius enim, cerebri inquam inflammationis symptomata tam vehementia sunt, ut inflammatio serosa meningum cum illa coniuncta non nisi difficillime distingui possit.

Caeterum decursus inflammationis productumque idem esse solet, ac si simplex et idiopathica foret.

Exempla, praeter allata, inflammationis fibroso-serosae sunt: Inflammatio durae matris cum serosa coniuncta; Pericarditis fibroso-serosa; in utraque concretiones partiales aut universales membranarum serosarum, nimirum arachnoideae cum superficie serosa durae matris, et cordis cum pericardio oriuntur. Pleuritis et Enteritis et Peritonitis fibroso-serosa, Myelitis fibroso-serosa etc.

VI.

De chronica systematis serosi inflammatione.

Chronicam indolem hanc inflammationem assumere posse, optime ex oculo, nimirum ex Iritide chronica intelligitur; eam vero in aliis quoque membranis serosis locum habere et symptomata et sectiones docent.

Ultra diem nonum in chronicam abire habenda esse videtur.

Symptomata harum inflammationum lenissima esse, nec ab iis, quae acutarum sunt, multum discrepare solent.

Caeterum, non secus ac in aliis inflammationibus, in hac quoque symptomata stadii eius characterem servant, in quo chronicam indolem inflammatio induit; et pro natura organorum, quorum superficiem serosae membranae circumvestiunt, paululum diversa esse solent. Arachnitis v. c. chronica aliis symptomatibus insignitur, quam pleuritis aut peritonitis chronica, ita et aliae inflammationes.

Quod ad *irritationem inflammatoriam* seu *subinflammationem* systematis serosi attinet, ea sine dubio locum quoque habet, quod vel oculi pathologia docet, verum symptomata huius affectionis in caeteris membranis serosis, — excepta forsitan iride — tam mitia sunt, tunicaeque tam absconditae, ut vix ac ne vix quidem certe cognosci possit. Quare eam hic prorsus silentio transimus, potissimum cum, si ad fuerit symptomatibus ab inflammatione chronica primi stadii nequaquam differat.

VII.

*Sequelaë inflammationis systematis
serosi.*

Sequelaë inflammationis serosae, seu eae mutationes morbosae quae fortuito ab inflammationibus serosis gignuntur aut eas sequuntur, hae fere sunt:

1. *Induratio et crassitudo* praeternaturalis. Hae locum habent potissimum tum cum inflammatio chronicam indolem assumpsit; et in membranis quae liberae sunt, v. c. in Arachnoidea; haec membrana non spissior modo fit, sed etiam opaca, dum nativam perdit pellucidatem. Tales indurationes in pleura quoque, peritoneo et aliis membranis reperiuntur.

2. *Cohaesiones et concretiones partiales et totales*, quarum hae in oculo atresiae nominantur, nimirum pupillae. Eiusmodi concretiones locum habere solent inter meningas; inter iridem et lentem aut corneam, nomine synechiae posterioris et anterioris notae; inter pulmones et pleuram; inter pulmones et pericardium et diaphragma; inter cor et pericardium; inter intestina et peritoneum et inter intestina ipsa; inter medullam spinalem et periosteum columnae vertebralis, et inter testiculum et tunicam vaginalem. Omnes hae concretiones organorum turbant aut prorsus impediunt functiones.

3. *Collectiones lymphae plasticæ, quae empyemata* dicuntur, et saepe falso pro puris collectionibus habitae sunt, et habentur. Eiusmodi collectiones locum habent inter Duram matrem et Arachnoideam, inter hanc et Piam matrem et in ventriculis cerebri; in cavo medullae spinalis; in oculi camera anteriore et posteriore, quae cum puris collectione non confundenda est; in cavo pectoris inter pleuram et pulmones; inter pericardium; in cavo abdominis et tunica vaginali testiculi, verum in hoc raro. Haec empyemata interdum abeunt in

4. *Abscessus*, qui per musculos et integumenta communia exitum sibi parant. Eiusmodi abscessus potissimum in cavo abdominis observantur, nec non in cavo pectoris et testiculi; rarissime in cavo cranii, saepissime in cavo oculi. Ob cohaesionem membranarum serosarum circum talem abscessum in cavis pectoris et abdominis pus non in cava abdominis et pectoris effunditur, sed ope inflammationis et suppurationis exitum sibi aperit per partes externas.

5. *Hydropes* omnium frequentissime inflammationes serosas sequi solent, et in omnibus cavis locum habent, potissimum in ventriculis cerebri, in cavo pectoris, abdominis et scroti. Verum etiam in cavo oculi columnae vertebrales et inter meningas. Istae hydropes aut cum affectione inflammatoria adhuc coniunctae sunt, aut haec prorsus cessavit, mereque sequelae sunt.

6. *Hydatides*, animalia illa quae *Cysticerci* dicuntur, haud raro inflammatione in cavis, quae serosis tunicis investiuntur, generari solent. Reperiuntur vero imprimis in cavo abdominis et scroti, in priori ingenti copia; verum neque cranii, neque pectoris cava ab illis morboris sequelis inflammationis libera prorsus sunt. Magnitudine et numero maximopere diversae esse solent.

7. *Ligamenta* demum minora et maiora, angustiora et latiora hisce inflammationibus potissimum in cavo abdominis generari solent, quibus functiones intestinorum turbantur, compressiones, tensiones et dolores etc. oriuntur, quae ars medica saepe prorsus ignorat, neque si divinat, sanare potest.

8. Huc *ossificationes* etiam pertinere videntur, quae in membranis serosis interdum inveniuntur.

PATHOLOGIAE
SYSTEMATIS FIBROSI
SUCCINCTA ADUMBRATIO.

I.

*De natura et functionibus systematis
fibrosi.*

Systema fibrosum constat e membranis et fasciculis seu restibus (Strängen) tenacibus solidis, quae texturam densam e fibris textu cellulari coniunctis constantem (faserige), colorem argenteum albicantem aut canum habent et extensionis impatientes sunt, contractionis vero non prorsus.

Excepto periosteo, paucis vasis sanguiferis, nullis, quantum quidem cultro anatomico evinci potest, lymphatis nullisque nervis, pollent.

Laesiones instrumentis scindentibus et contusiones sine dolore ferunt, nequaquam vero extensiones violentas.

Hae membranae in toto corpore continuae sunt, in periosteo, quasi in centro radicanur, organa, exceptis pulmonibus, investiunt et omnia, larynge, testiculo, liene et renibus exceptis, coniungunt.

Extima nervorum membrana, neurolemma dicta, eiusdem indolis esse videtur.

Membranae fibrosae intime uniuntur cum membranis et organis variis, nimirum cum membranis mucosis, serosis synovialibus, musculis, ossibus et nervis — inde sympathicae affectiones.

Usus praestat multiplicem, non satis adhuc cognitum ad coniungenda, separanda, firmanda, involuenda, tuendaque organa eorumque functiones, v. c. circulationem san-

guinis, motum musculorum; ad nutrienda organa v. c. nervos, ossa; ad suscipiendos et depellendos stimulos scoricos; et ad arcendas et coercendas inflammationes.

Praeterea sedes et quasi solum est, in quo omnia producta morbosa radicanur, v. c. Ganglia, lipomata, tumores cystici, tophi, nodi, osteosteatomata et ipse fungus medullaris etc.

II.

De variis inflammationis systematis fibrosi formis.

Praecipuae inflammationis systematis fibrosi formae hae sunt;

1) Ratione *causae*, inflammatio fibrosa est vel *traumatica*, vel *dynamica*, illa a laesione, extensione potissimum violenta, haec a stimulo quodam dynamice irritante proficiscitur, v. c. pure, suppresso sudore, aut perspiratione, exanthemate etc.

Istius exempla sunt: *periostitis ab ictu*, huius, *periostitis* a suppresso erysipelate; istius, *inflammatio ligamentorum articuli ab extensione violenta* v. c. subluxatione orta; huius, *inflammatio eorundem organorum a suppresso sudore aut perspiratione profecta*.

Magni momenti haec diversitas est ob medelae convenientis huic an illi morbo adhibendae diversitatem.

2) Ratione *gradus* inflammatio fibrosa est vel *vera* vel *irritatio inflammatoria* s. subinflammatio. Illa per stadia sua decurrit, sedem suam in parenchymate membranarum habet, symptomatibusque gravioribus insignitur; haec inchoatur modo, sedem suam in superficie membranarum habet, neque ultra primi stadii initium progreditur, levióribus stipata signis.

Exempla *irritationis inflammatoriae* sunt: Subluxatio levis, dolore exiguo nulloque fere tumore stipata; *inflam-*

mationis: subluxatio vehementior acerbo dolore, timore magno et symptomatibus stipata, quae fungum sic dictum articuli comitari solent. Irritationis inflammatoriae exemplum est *rheumatismus*, inflammationis *arthritis* et sic p.

3) Ratione *decursus*, vel *acuta* est, vel *chronica*. Illa brevi legitimoque tempore aliquot diebus decurrit, haec ultra terminum legitimum durat, pluribusque saepe mensibus etc. non absolvitur.

Illius exemplum est inflammatio capsularum articulationis femoris, vulgo Ischias s. luxatio spontanea dicta, quae aliquot diebus in suppurationem abit; huius, eadem inflammatio, quae per menses et annos durat sine suppuratione et morbosa mutatione.

4) Ratione *ambitus* inflammatio est vel *localis* vel *universalis*. Illa partem aut organon quoddam, haec omnia eiusdem indolis membranas afficit.

Exemplum prioris est inflammatio scorica scleroticæ seu capsulae articuli humeri etc., posterioris: inflammatio omnium membranarum fibrosarum, v. c. in rheumatismo acuto s. calido.

5) Ratione *sedis causae*, inflammatio fibrosa vel a causa *locali* vel ab *universali* originem trahi potest. Illius exemplum est panaritium tertiae classis, fibrosum, a laesione ortum; huius, panaritium idem aut ophthalmia scorica (rheumatica), a refrigerio universali orta.

6) Ratione *coniunctionis causarum* inter se vel *pura* vel *complicata* est. Pura v. c. inflammatio scleroticæ a vulneratione orta, complicata vero est tum, cum ad laesionem refrigerium accessit, aut alia praeterea causa, v. c. syphilitica, scrophulosa etc.

7) Ratione *nexus cum causa* inflammatio fibrosa *primaria* s. *idiopathica* est, vel *secundaria*; haec rursus aut *sympathica* aut *metastatica* est. (Cfr. pag. 3. nr. 4.) Urethritis v. c. fibrosa, quae non raro coarctationes sequelas habet, e vehemente, male curata urethritide mucosa propter contiguitatem membranarum orta, *secundaria sympathica*

est; inflammatio vero testiculi fibrosa e suppressa blennorrhagia urethrae orta, secundaria metastatica est.

8) Ratione *organorum simul affectorum aut simplex* est, aut *composita* (cfr. pag. 4. nr. 6.) Inflammatio solius membranae capsularis humeri a subluxatione, simplex est; inflammatio eiusdem membranae cum laesione et inflammatione musculorum, cutis etc. coniuncta, composita est.

9) Ratione *organorum* inflammationis fibrosae tot sunt diversae species, quot organa fibrosa, quae pro affinitate qua pollent, inter se aliquid commune habent, et vice versa. Periostei v. c. inflammatio paulo aliter sese habet; ac ligamenti aut capsulae inflammatio, in qualicumque demum membro accurrat, licet in genere eiusdem indolis sit.

Praecipuae formae ratione organorum hae sunt:

Inflammatio:

- 1) *Periostei*, potissimum cranii, orbitae, faciei et sinuum, maxillarum (parotis spuria), sterni, vertebrarum (psostis), pelvis, et extremitatum.
- 2) *Perimysii*, fasciarum et vaginalium musculorum et tendinum; potissimum musculorum faciei (trismus), colli (angina tonsillaris), pectoris et abdominis, et extremitatum (phlegmatia alba dolens), aut omnium musculorum, v. c. in Tetano, et induratione telae cellularis infantum?
- 3) *Perichondrii*, v. c. palpebrarum, laryngis (phthisis laryngea et trachealis), tracheae (angina membranacea).
- 4) *Aponeurosium* v. c. galeae aponeuroticae, diaphragmatis, musculorum thoracis, abdominis et extremitatum.
- 5) *Capsularum fibrosarum et ligamentorum articularum*, v. c. humeri, femoris (luxatio spontanea), genu etc. (fungus articuli).
- 6) *Capsularum membranacearum* organorum, potissimum dura mater, sclerotica, cordis (rheumatismus cordis), pericardii, lienis, renum, testiculorum albuginea, vesicae, ovariorum, corporum cavernosorum etc.

7) *Canalium fibrosarum et cavorum tunicis fibrosis investitorum*; v. c. bronchiarum, urethrae, vasorum sanguiferorum, intestinorum, pleura, peritoneum (peritonitis puerperarum), cavi columnae vertebralis (Myelitis fibrosa) etc.

8) *Tendines.* (Rarissime.)

9) Nervorum tunicae, neurolemma (dolor Fothergilli, ischias Cotunii).

III.

De causis inflammationis systematis fibrosi.

Causae *disponentes* inflammationis fibrosi systematis duplicis generis sunt, *congenitae* et *acquisitae*.

Illae in congenita sensibilitate alacriori aut debilitate huius systematis cernuntur, qua stimulis inflammatoriis facilius irritatur et inflammatur.

Hae aut in ipso corpore sunt et imprimis in morbosa debilitate et sensibilitate positae sunt, quae ex antegressis inflammationibus originem traxit, tum, quia stimulus inflammatorius quo ortae erant, non prorsus eliminatus est; tum, quia debilitas e praegressa inflammatione remansit. Utrumque variis a causis nasci solet, v. c. a perversa medela, v. c. a sanguinis missione locali per hirudines in scorica inflammatione; a praemature motu articuli modo inflammati, v. c. post subluxationem, et sic porro; ab inflammatione saepius repetita, v. c. tonsillari etc. Huc pertinere videtur etiam nimis seminis iactura potissimum modo praeternaturali et aetate immatura effecta. Aut in rebus externis obtinent, v. c. habitatio humida, anni tempus iugratum, caloris et frigoris subita mutatio, et huius generis aliae.

Causae *occasionales* vel *mechanicae* vel *dynamicae* sunt.

Ad priores pertinent omnes laesiones, quae instrumentis cylindraceis, acuminatis non scindentibus, v. c. acubus, clavis, festucis, hastis, telis, globulis etc. fiunt, porro omnes extensiones violentae, et torsiones, rupturae, ossium fracturae etc.

Posteriores *dynamicae* vel in corpore reperiuntur vel extra sunt.

In corpore causae sunt materiae morbosae huc illuc vagantes scoricae (rheumaticae et arthriticae) metastaticae, dyscrasiae v. c. syphiliticae, scrophulosae, psoricae, scirrhusae, canceraticae; suppressa exanthemata et impetigines, se- et excretiones naturales et morbosae interruptae et suppressae, v. c. mensium, lochiorum et lactis profluvium, sudoris pedum, tineae capitis, blennorrhagiae urethrae, coryzae etc. suppressio.

Inter res externas huc pertinent subita temperiei aeris et atmosphaerae mutatio, transitio potissimum subita e calido aere in frigidum; venti modo vehementioris modo levioris afflatus diutius durans, aeris inprimis permeantis tactus (Zugluft). Atmosphaera humida, autumnii inprimis tempore etc.

IV.

De irritatione inflammatoria systematis fibrosi.

Irritatio inflammatoria systematis fibrosi in iis partibus eius occurrit, quae membranarum formam habent, in iis vero quae fasciculares sunt rarissime observatur. Hoc valet etiam de inflammatione vera huius systematis.

Irritatio inflammatoria multo frequentior est quam inflammatio.

Causae dynamicae saepius vulgo irritant, mechanicae saepius inflammant tunicas fibrosas.

Irritatio inflammatoria facile ab una parte systematis fibrosi ad alteram transire solet, inflammatio non item.

E contrario inflammatoria irritatio organa et membranas contiguas haud facile simul afficit, inflammatio vero facillime, potissimum textum cellulosum. Irritatio v. c. scorica sclerotico (Rheumatismus), per multos menses durare potest sine affectione membranae mucosae coniunctivae et partium internarum; inflammatio vero (v. c. Arthritis oculi) brevi tempore, aliquot diebus, easdem partes non modo simul afficit, sed interdum destruit.

Irritatio inflammatoria non nisi in superficie membranarum fibrosarum haeret, structuramve licet per longum tempus adsit, nequaquam mutat; inflammatio vero intimanam tunicarum structuram corripit eamque si diutius durat, mutat et prorsus destruit, nec non organa cum quibus cohaerent, quae vel inflammantur, vel debilitantur, vel mutantur, vel novorum productorum sedes fiunt, vel destruuntur; v. infra.

Irritatio inflammatoria producta non generat, neque ultra initium primi stadii progreditur.

Symptomata localia irritationis inflammatoriae haec fere sunt: *Dolor peculiaris, pungens, urens, lancinans, terebrans*, modo fixus et circumscriptus in certo quodam loco haerens; modo fixus quidem se e sede sua, quasi e centro radios dolorificos emittens; modo diffusus et late sensum molestum spargens; modo intermittens; modo mobilis et ab una parte ad alteram extemplo transiliens, v. c. a collo ad pectus, a pedibus ad cor etc. Partes affectae tunc *e longinquo dolent*, id est: dolor acerbior ad lenem tactum est, quam ad fortiorem, et sensim auctum. *Rubor nullus* in cute cernitur, et ne in ipsis quidem membranis fibrosis, nisi *exiguus, candidus e rubro* (hellroth) *diffusus et quasi afflatus* (angehaucht), qualem oculi bulbus ostendit in affectione scorica recente (ophthalmia rheumatica). Saepe nullus prorsus apparet. *Tumor nullus* adest neque in cute neque in membranis fibrosis ipsis, per cuius

absentiam clare ab inflammatione distinguitur, quae nunquam non et saepe magno tumore stipata esse solet. *Calor* naturalis paululum *auctus* est, magis minusve pro gradu irritationis.

Quodsi membranae fibrosae mobiles, v. c. capsulae et ligamenta articularum, musculorum, vaginae, membranae capsulares organorum, canalesque fibrosi irritatione inflammatoria corripuntur: magis minusve contrahi solent, ita ut libera earum mobilitas minuatur; quae contractio interdum ad tantum gradum progredi solet, ut motus organorum prorsus tollatur, canalesque tantopere contrahantur, ut transitus et profluvium contentorum prorsus impediatur.

Exempla talis morbosae contractionis sunt: spasmus urethrae scorica (s. rheumaticus). Contractio spastica in Tracheitide membranacea infantum; contractio capsularum articularum in subinflammatione scorica, s. rheumatismo articuli v. c. genu etc.

In irritatione inflammatoria neurolemmatis symptomata eadem sunt, dolor modo acerbior, et secundum nervorum decursum repens etc.

Symptomata universalia irritationis inflammatoriae mitioris indolis sunt et non nisi tum accedunt cum irritatio paulo vehementior est; tum in systemate nervorum potissimum sese manifestare solent et febrilis indolis sunt. Cutis praeternaturalis habitus, sicca aut humida, sudores aut horripilationes spasticae, lassitudo, appetitus minutus, sitis aucta, alvus luxa aut constipata, urina aquosa, dolores leves scorici in artubus, stupor capitis et huius generis alia.

V.

De acuta idiopathica systematis fibrosi inflammatione.

Inflammatio organorum fibrosorum non in superficie eorum haeret, uti irritatio inflammatoria, sed in ipso eo-

rum parenchymate, et fere semper ea morbose mutat, corrumpit aut prorsus destruit.

Decursus spatium inflammationis fibrosae pro indole organorum, quae afficiuntur, differt, brevius in periosteo, longius in capsulis membranaceis, et vaginis musculorum, nec non in membranaceis capsulis organorum esse solet. In periosteo intra septem fere dies absolvi potest, si diutius durat, partes adjacentes accusandae sunt; in aliis membranis in totidem fere hebdomadibus. In tendinibus chronicam indolem induit.

Ad partes proximas eiusdem systematis haud facile transit. Inflammatio v. c. membranarum articulationis femoris in ischiade, aut genu in fungo acuto articuli, aut cuiuscunque membranae a mechanica causa inflammatae, ad organa fibrosa vicina non transit. Nisi forte pure prorepente iritentur.

Semper vero telam cellulosa adjacentem simul corripere atque in ea symptomata sua potissimum manifestare solet v. c. tumorem, suppurationem etc.

Quando vehementior est, systema nervosum sympathice irritat atque magnas turbas in eo ciet.

Stadii quidem tribus inflammatio fibrosa decurrit, verum fere semper systema cellulare vicinum simul corripit.

Symptomata in genere quidem eadem, in specie tamen pro natura et indole membranarum fibrosarum paululum differunt; tumor v. c. in inflammatione membranae articuli.

Stadium primum.

Temporis spatium, quo primo stadio inflammatio fibrosa legitime decurrit, modo brevius modo longius est, pro indole atque natura membranarum. Periostei inflammatio tribus diebus fere absolvi solet, ceterarum membranarum inflammatio vero v. c. articularum, vaginalium musculorum longe diutius et bis septem fere dies durare videtur?

Symptomata inflammationis multo vehementiora gradu sunt, quam irritationis nec non numero plura, et partim in organo fibroso affecto, quod inflammationis sedes est, partim in textu celluloso adiacente manifestantur.

Symptomata localia haec sunt: Dolor peculiaris, similis illi quem irritationis inflammatoriae esse dixi, verum longe vehementior, urens, pungens, terebrans, lancinans, non remittens nec intermittens, sed continuus ad lemissimum tactum intolerabilis; caeterum gradus doloris pendet a natura organorum affectorum, in aliis magis, in aliis minus vehemens esse solet; magis in articulorum membranis, minus in periosteo. Dolor praeterea sedem non mutat, sed fixus in imo organo haeret, et ad partes vicinas sese non secus ac per radios extendit. Haec peculiaris doloris facies et natura hanc inflammationem ab omni alia facile distinguit.

Calor magnopere auctus, non modo in superficie cutis sed profundius quoque sentiendus.

Rubor in cute nullus, sed in membranis fibrosis magis minusve, pro natura earum animadvertendus, magis v. c. in periosteo, minus contra ea in ligamentis et capsulis articulorum, nec non in sclerotica bulbi oculi et aliis.

Tumor magnus ab initio circumscriptus, sed mox ad partes vicinas quid? quod et remotiores serpens; in panaritio fibroso v. c. non digiti solum omnes tument, sed manus quoque et totum brachium usque ad humerum. Color cutis tumentis non mutatus, immo vero haud raro candidior, v. c. in phlegmatia alba, tum propter extensionem cutis, tum propterea quod sedes inflammationis profundior est. Iste tumor eo citius oritur, quo vehementior est stimulus inflammatorius et ipsa inde profecta inflammatio. Ad tactum digiti tumor varie sese habere solet, modo durior, modo mollior. Durior et quasi ligneus in periostei inflammatione; mollis et quasi fluctuans, ita ut imperitos facile decipiat, in capsularum articulorum inflammatione; me-

dium tenens et *elasticus* in vaginarum et fasciarum musculorum inflammatione.

Exemplum prioris est inflammatio periostei maxillae in parotide spuria; exemplum mollis tumoris est inflammatio ligamentorum articulationis genu, in tumore albo seu fungo articuli, seu in luxatione et subluxatione cuiuscunque articuli; Phlegmatia alba demum, seu inflammatio fasciae latae etc. exemplum tumoris elastici exhibet etc.

Tumor iste olim, et nunc quoque a Chirurgis, huius rei non bene gnaris, pro tumore erysipelatoso habetur, nomineque pseudo-erysepelatis insignitur. Verum prorsus ab hoc tumore differt, qui semper roseo colore, doloreque tendente multo mitiori sese distinguit.

Quodsi membranae *fibrosae mobiles* inflammantur, contrahi solent, multo magis quam tum cum irritatione inflammatoria correptae sunt, neque, uti in hac saepe fieri solet, per paroxysmos, aut remissiones, sed continuo, nulla re- aut intermissione admissa, quo fit, ut membra prorsus non, aut non nisi cum summo et acerbissimo dolore moveri queant; musculi v. c. sphincteres ita contrahantur, ut sponte remitti nequeant; canalesque coarctentur tantopere, ut transitus materiarum in illis prorsus impediatur, v. c. contentorum in intestinis, aeris per laryngem, cibi per oesophagum, urinae per urethram etc. Inde suffocationes subitareae oriuntur quando in diaphragma et musculos intercostales inflammatio scorica irruit etc.

In neurolemmatis inflammatione symptomata fere eadem, modo vehementiores dolores et prorsus intolerabiles sunt, v. c. in dolore faciei Fothergillii; at raro vere inflammari, sed vulgo irritari modo solent.

Quodlibet praetera organon quando fibrosae eius membranae inflammantur aut irritantur stimulo inflammatorio, peculiaribus et propriis suis symptomatibus, pro indole et functionibus suis diversis stipatur; cor, v. c. palpitatione; vesica urinaria, stranguria; intestinum rectum tenesmo;

musculi thoracis et diaphragma respirazione asthmatica, et sic porro.

Gradus maior irritationis inflammatoriae ab inflammatione vera incipiente non semper accurate distingui potest.

Symptomata universalia eadem fere sunt, quae in irritatione inflammatoria observantur, modo vehementiora, et aequae in systemate nervorum potissimum conspiciuntur. Febriles ergo sunt: coenaesthesia mutata, pulsus durus, frequens, non plenus, cutis aut sicca aut humida, horripilationes, digestionis atque alvi turbatio, urina spastica modo, modo subinflammatoria, dolores in artubus, capitis dolores, aut stupor etc. Haec symptomata paulo differunt pro natura organi quod primaria et vehementiore affectione corripitur.

Stadium secundum.

Si inflammatio fibrosa in secundum stadium transit, symptomata inflammationis systematis cellulosi accedunt, nimirum signa suppurationis.

Stadium secundum ab illo inde momento incipit, quo pus secerni coepit, et ad eum usque diem durat, quo pus exitum ad partes externas sibi aperit.

Temporis spatium quo secundum stadium decurrit, pro natura organi fibrosi inflammati differt, brevius est in periostei, longius in ligamentorum, capsularum et vaginalium inflammatione. In priore aliquot diebus absolvitur, in posterioribus bis septem fere dies durare videtur?

Symptomata localia, quae primum stadium distinguunt, in secundo quoque continuantur, quae dum vero paululum mutantur novaque accedunt. *Dolor urens, pungens, lancinans* etc. nequaquam minuitur, immo *novus* accedit, *pulsans* nimirum in illo loco profundo, quo pus colligi coepit. *Calor* idem nec non *tumor*, hac tamen admissa differentia, quod fluctuare incipit in illa parte, in qua

suppurationis sedes est, difficillime vero haud raro cognoscenda tactu digiti, propterea quod pus profundum est. Mutatur tumor praeterea in regione sedis puris, potissimum inferne ita, ut *oedematosus* evadat. Versus finem huius stadii cutis color, hucusque naturalis, mutari atque rubescere in illa parte incipit, sub qua pus latet, atque prorumpere tentat.

Caeterum mobilitas articularum et musculorum inflammatorum in hoc stadio magis adhuc minuitur, contractioque plerumque augetur.

Mutantur porro et destruuntur in hoc stadio membranae fibrosae suppuratione, simulque interdum organa quibus contigua sunt, v. c. ligamenta crassiora, duriora fiunt, colorem nativum perdunt, brunneumque accipiunt; periosteum simul cum ossis superficie, capsulae articularum cum membrana synoviali destruuntur etc. Verum non semper, neque frequenter os, licet periosteum destructum sit, corrumpitur, sed simulac pus emissum est, rursus novo periosteo tegitur. Neque ipsae tunicae fibrosae semper in hoc stadio destruuntur, licet pus per plures dies in eorum superficie in textu celluloso haereat.

Pus, quod secernitur simile quidem est puri per inflammationem textus cellulosi genito, verum tamen ab illo quodammodo differre videtur; praesertim si causis dynamicis metastaticis inflammatio genita fuerat. Magis album aut griseum, liquidius, floccosum, acre magis et odore diversum esse videtur. Productum ergo huius inflammationis simile est ei, quod inflammatio cellulosa gignit, ab eo tamen quoque differt.

Symptomata universalis eadem sunt quae primi stadii, sub finem vero huius stadii minui incipiunt. Febris interdum vehementior adhuc est, et inflammatoriam seu synochicam indolem induit; interdum typhosam, vitaeque periculum minuitur. Caeterum pro diversitate organorum affectorum symptomata paulo differunt.

Stadium tertium.

Tertium stadium ab illo inde momento incipit, quopus, secundo stadio genitum, exitum sibi aperire coepit, aut aperit, usque ad perfectam sanationem.

Temporis spatium, quo decurrere solet, pro natura organi in quo inflammatio sedem suam habet, differt, et in periosteo citius absolvitur, aliquot quippe pro re nata, diebus, verum brevior tempore quam secundum stadium absolvi haudquaquam solet.

Ad brevior et longior decursus in *periosteo* status ossis potissimum facit, quod, si non emoritur sed novo periosteo tegitur, stadium hoc aliquot, tribus aut quinque aut septem diebus, pro ambitu partis nudati ossis, finitur. Quodsi vero ossis superficies in parte affecta emortua est (necrosis adest): diutius durat hoc stadium, nec intra ter septem dies finitur, nam tantum saltem temporis spatium ad eliminandam emortuam partem (exfoliationem) requiritur; interdum longius.

In caeteris organis fibrosis tertii stadii decursus tum a natura organorum affectorum, tum a via pendet, qua pus e loco affecto prorumpit. Quod ad organorum indolem attinet, serius in articulis quam in aliis partibus sanatio perfici solet. Quod vero attinet ad viam, longe semper diutius sanatio protrahitur, quando ad partes internas v. c. in cavum articuli pus sibi viam aperit, quam cum ad partes externas progreditur.

Symptomata huius stadii *localia* et *universalia* paululum mitiora fieri et mutari solent, sed in genere eadem continuantur. *Dolor idem* persistit, modo paulo lenior, *tumor paululum* diminuitur et ad *oedematis indolem* accedit, verum nequaquam plane oedemati similis est; *Calor* cessat, *pus* profluit, aliaeque pro re nata materiae gignuntur, imprimis si minus idonea aut perversa medela, v. c. epithemata humida calida, hirudines, frictions irritantes et similia adhibentur. *Excrementa* tunc fungosae, carnosae,

osseae et aliae materiae abnormes oriuntur; calcareae, melanosae, liquores acres etc., v. c. in parotide spuria, in arthritica inflammatione articularum, in dura matre, inter eam et cranium, in periosteo etc.

Pus interdum in textu celluloso inter cutem et musculos aut profundius inter musculos ad partes remotas prolabitur, v. c. e regione musculi Psoas ad regionem inguinalem, ad nates et ad partes inferiores, genu usque et suras; e regione articulationis femoris ad genu et inferius etc.

Universalialia symptomata febrilia characterem nervosum amittunt et hecticum haud raro assumunt; interdum nulla fere adsunt, potissimum tum cum affectio localis minoris momenti est.

VI.

De secundaria, sympathica nimirum et metastatica systematis fibrosi inflammatione.

a) *Inflammatio fibrosa sympathica.*

Sympathica inflammatio fibrosa ea est, quae ex alia systematis s. organi contigui inflammatione oritur. Iam cum omnia systemata contigua fibrosis organisi sint: apparet: systema fibrosum varia et multiplici ratione sympathice affici posse, quod, teste experientia, re vera ita se habet.

Systemata, quorum inflammatio prae caeteris ad fibrosum systema serpere solet, sunt: Systema cutaneum, cellulare, pituitarium, glandulare et osseum; rarissime nervorum, serosi et synovialis, nunquam vero musculorum, lymphatici et cartilaginei systematis inflammationes ad fibrosum transeunt.

Cutanei systematis inflammatio sympathice afficit contiguas membranas fibrosas in ulceribus ad eas usque progredientibus v. c. phagedaenicis pedum, in panaritio primae

classis neglecto aut male curato, erysipelate humidis calidis epithematibus suppresso; exanthematibus.

Cellulare, in abscessibus, ulceribus, in panaritio secundae classis etc.

Pituitarium in vehementi inflammatione v. c. tracheae, coniunctivae oculi v. c. Blepharoblenorrhagia neonatorum, membranae Schneiderianae narium, intestinorum, urethrae v. c. in blenorrhagia vehemente etc.

Glandularum, in exulceratione scrophulosa et canceratica etc.

Osseum, in inflammatione scrophulosa ossium et inde nata carie ab interiore ossium compage oriunda etc.

Systema nervorum, serosum et synoviale quando primaria affectione inflammantur interdum tunicas fibrosas contiguas paululum irritare videntur, sed rarissime v. c. in encephalite duram matrem; in peritonitide serosa fibrosas tunicas intestinorum; in membranae synovialis inflammatione capsulas fibrosas?

Symptomata in sympathicis inflammationibus (quae compositae sunt), mixta apparent ex inflammatione fibrosa et eius systematis a quo profecta est inflammatio, v. c. taelae cellulosa in panaritio secundae classis, quod ad periosteum serpit; pituitariae membranae, in tracheitide infantum membranacea; in qua spasmi periculosi ab irritatione inflammatoria membranarum fibrosarum proficiscuntur, muci secretio a membrana pituitaria.

Probe notanda est haec sympathica inflammationis coniunctio, propter medelam aptam eligendam.

b) Metastatica inflammatio fibrosa.

Metastatica inflammatio fibrosa ea est, quae e suppressa inflammatione alius organi originem ducit.

Exempla huius inflammationis sunt; inflammatio fibrosa testiculi e suppressa blenorrhagia urethrae; inflam-



matio periostei e suppressa erysipelate; inflammatio ligamentorum articuli e suppressa scabie etc.

Symptomata harum inflammationum ea sunt, quae fibrosis competunt; verum non modo vehementia sed pertinacia quoque conspicuae nec facile sanandae sunt, nisi inflammationes suppressae, e quibus ortae sunt, revocentur.

VII.

De chronica inflammatione systematis fibrosi.

Chronica systematis fibrosi inflammatio, neque causis neque symptomatibus neque materiis morborum, quas generat, ab acuta differt, sed tempore solummodo, quo decurrit; excedit enim legitimum spatium et saepe per plures menses et annos durat.

Symptomata interdum mitiora esse et interdum per aliquod tempus prorsus silere aut ita minui solent, ut vix aut prorsus non animadvertantur.

Caeterum chronica inflammatio, uti constat, eius stadii symptomata servat, in quo chronicam naturam induit.

Exempla huius inflammationis sunt: arthritis et rheumatismus chronicus; ischias et fungus articuli chronicus; cystitis fibrosa chronica.

VIII.

De sequelis inflammationis systematis fibrosi.

Quid sequelae sint pag. 17 exposui, hic eas enumerabo:

1) *Exulcerationes et destructiones membranarum fibrosarum*, per suppurationem v. c. in luxatione spontanea.

2) *Induratio, rigiditas et aucta crassitudo* tunicarum fibrosarum, v. c. periostei, capsularum articularum (Ankylosis spuria).

3) *Morbosae mutationes*, v. c. in materiam brunneam, in fungo articuli, in steatomatosam in osteosteomate; in osseam in periostitide, in ischiade chronica etc.

4) *Laxitas*, v. c. in arthritide chronica, post luxationes et subluxationes neglectas, in staphylomate sclerotices? etc.

5) *Accumulationes materiaram anomalium in earum superficie aut sub iis* v. c. *lymphae*, in abscessibus frigidis serophulosis; in contusione cranii; *calcariae phosphoricae* in tophis arthriticis; *materiae spissae subliquidae*, in Gummi syphilitico etc.

6) *Excrescentiae variae*, v. c. *fungosae, carnosae*, in fungo durae matris; e sclerotica (bis vidit auctor) e perioste in parotide spuria, *fibrosae* e tendinibus digitorum (in octo digitis vidit et abscondit auctor) *) in tendine Achillis et alio (semel v. auctor).

Cartilagosae et callosae, in periostitide scorico-serophulosa; in quarum intima substantia materia ossea sensim sensimque generari et quasi crystallorum instar ascendere solet. *Osseae* in periostitide, ischiade chronica e capitulo ossis femoris in margine cartilaginis, et e margine cavi glenoidalis eiusdem articulationis. Substantia ossea excrescentiarum vel naturalis s. regularis vel abnormis est et aut terra calcaria phosphorica, aut glutine abundat; aut structura regulari spongiosa aut abnormi compacta, interdum instar eburis est etc.

Huc ego quidem refero praeterea omnia illa abnormia nova producta, quae in superficie membranarum fibrosarum,

*) Cfr. Dzondi Beiträge z. Vervollkommnung d. Heilkunde. Halle 1816. I. S. 65 sqq.

et in illis potissimum partibus et locis, quae organo fibrosis abundant, maxime inveniuntur solent, v. c. in galea aponeurotica, circum articulos manuum et pedum etc. quae sunt: fungus durae matris, fungus medullaris, ganglia, tumores cystici, lipomata, topihi, nodi, sarcomata, osteosteatomata etc.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. Some words like "Ganglion" and "Sarcoma" are faintly visible.]



PATHOLOGIAE
SYSTEMATIS LYMPHATICI ET GLANDULARUM
SUCCINCTA ADUMBRATIO.

A. SYSTEMA LYMPHATICUM.

I.

*De natura et functionibus systematis
lymphatici.*

Systema lymphaticum constat ex innumeris canalibus teneris, qui a superficie organorum et ex eorum intima compagine oriundi, versus centrum corporis tendunt, et in ductum thoracicum dextrum et sinistrum confluentes in venam iugularem et subclaviam dextram et sinistram plerumque aperiuntur.

Canales inaequales, multis valvulis semilunaribus instructi amplitudine non multum inter se diversi, e duabus tunicis conflantur, quarum intima similis est intimae venarum, extima vero cellularis est.

In regione articularum ubi textus cellulosus abundat et potissimum in cavis corporis frequenter uniuntur, in unam compagem convolvuntur et invicem contexuntur, textuque celluloso vasis et nervis instructo coniunguntur; quae convoluta nomine glandularum lymphaticarum insigniuntur et varia magnitudine sunt, a lente ad nucem avellanam usque; in statu morbosio vero interdum ad ingentem molem intumescunt.

Systematis lymphatici functio cernitur in absorbendis materiis ad nutriendum et instaurandum corpus necessariis, et in resorbendis iis particulis corporis, quae, pro continua materiae corporum organicorum commutatione, ad sustentandam eius vitam amplius inservire nequeunt.

Vasa lymphatica nequaquam omnes materias, cuiuscunque indolis, pari facilitate et, ut ita dicam, aviditate absorbent; sed alias citius et quasi libentius, v. c. animales materias, omnium citissime lac; alias serius et quasi invita v. c. venena mineralia; alia prorsus respuere videntur, v. c. materias organicas excretas (*die verbrauchten organischen Stoffe*), quae nutriendo corpori amplius inservire nequeunt, sed instar atrocissimi veneni — non secus ac cineres carbonibus ardentibus — vitae infestae sunt, v. c. excrementa, exhalationes cutis, pulmonum etc.

Quaedam vasa lymphatica peculiari vi absorbente, certis quibusdam materiis destinata pollent, v. c. vasa lymphatica interna organorum, v. c. musculorum, ossium; alia variis materiis absorbendis destinata sunt v. c. vasa lymphatica cutis, intestinorum.

Vis absorbendi systematis lymphatici modo magis modo minus viget et alacris est.

Absorptio materiae alicuius, vasis lymphaticis ingratae, quam in statu naturali respuere videntur, facilior reddi potest duplici methodo; primum *excitando* vasa lymphatica v. c. frictione cutis; deinde *obtundendo* et *hebetendo* sensibilitatem eorum narcoticis remediis v. c. opio, aliis.

II.

De varietate inflammationis systematis lymphatici.

Praecipuae inflammationis systematis lymphatici species hae fere sunt:

1. Ratione *causae* vel *quantitativa* vel *qualitativa* est (cf. p. 2 n. 2) Istius exempla sunt, inflammatio vasorum lymphaticorum a laesione, vulnere, orta; huius, inflammatio systematis lymphatici a contagio syphilitico, a morsu viperæ profecta.

2. Ratione *nexus causae cum aliis causis* inflammatio lymphatica vel *pura* vel *complicata* est; a sola causa mechanica orta inflammatio pura est, a vulnere vero venenato complicata.

3. Ratione *nexus cum causa*, vel *primaria* s. idiopathica vel *secundaria* est; istius exemplum est inflammatio vasorum lymphatici a morsu bestiae iratae; secundariae s. sympathicae vero inflammatio vasorum lymphatici penis ab inflammatione urethrae in blennorrhagia orta.

4. Ratione *decursus* vel *acuta* vel *chronica* esse potest.

5. Ratione *organorum*, vel vasa lymphatica *externa* vel *interna* inflammata esse possunt.

III.

De causis inflammationis systematis lymphatici.

Causae disponentes in corporis congenita aut acquisita indole, et in atmosphaerae et anni constitutione sitae sunt, potissimum atmosphaera calida et humida dispositionis ad lymphaticas inflammationes prima stamina et origines continet.

Causae occasionales triplicis generis sunt:

mechanicae: laesiones, contusiones, compressiones, vulnerationes instrumentis cylindraceis acuminatis, morsus animalium, et insectarum punctiones v. c. v. c. vesparum, apum etc.

chemicae: remedia caustica, ambustiones. et alia.

dynamicae; *quantitativae*, *locales*: medicamina, unguenta, emplastra irritantia vulneribus imposita; aliae-

que materiae nimis irritantes, aer, exhalationes noxiae, morsus bestiarum iratarum, *universales*: refrigeria, materiae morbosae in corpore, scrophulosae, scirrhusae, canceraticae etc.

qualitativae: *Contagia*, v. c. syphilitica, *Miasmata*, cadaverosa, *venena*, v. c. morsus viperarum etc.

IV.

De idiopathica systematis lymphatici inflammatione.

Natura inflammationis systematis lymphatici nondum satis cognita est.

Universalis huius systematis inflammatio nondum, quantum quidem constat, observata est; nisi forsitan febris intermittens universalis huius systematis irritatio inflammatoria est? —

Plerumque singula vasa lymphatica inflammatione afficiuntur, quae facillime ad proximas glandulas lymphaticas progreditur easque simul inflammat.

Universales affectiones v. c. febriles aut inflammatorias raro haec localis inflammatio ciet.

Tempus decursus acuti aliquot dies aut interdum hebdomades durare videtur, de numero nondum certo constat.

Utrum lymphata, quam vehunt, inflammatione mutentur, nondum certo definiri potest.

Haec inflammatio haud raro per exulcerationem proximae glandulae lymphaticae terminatur.

Stadium primum.

Tempus quod primum stadium durat, aliquot, trium circiter dierum esse videtur.

Symptomata *localia* sunt: *Calor* et *dolor exiguus, tendens, paululum urens* in toto decursu vasis lymphatici in-

flammati, ad tactum crescens; *Rubor pallidus lineae scu taeniae* trium linearum vel *semipollicis* circiter latae instar, in cute ea directione qua vas lymphaticum decurrit, usque ad glandulam proximam, quae simul inflammatione corripitur, dolet, tumet et rubet, *Tumor exiguus tensus duriusculus* in textu celluloso adjacente et in cute. Omnia haec symptomata vehementiora sunt in inflammationibus qualitativis, v. c. a contagio, miasmate etc.

Inflammatio aut unum solum aut plura aut omnia vasa lymphatica membri cuiusdam corripere potest; prius saepius, postremum rarissime evenit, (cf. *Ferriar über eine zeitl. falschverstandne Krankh. d. Lymphgef. in d. Samml. auserl. Abh. f. pr. Aerzte. XIX. pag. 172. sqq.*)

Vas lymphaticum tumescens interdum digitis distingui potest v. c. in praeputio.

Symptomata *universalia* non nisi tum accedunt, cum inflammatio vehementior, aut a causis qualitativis orta est. Febrilia signa sunt: pulsus duriusculus et frequentior, capitis stupor, sitis, somnus inquietus, horripilationes, coenaesthesia mutata, nausea, vomitus, appetitus prostratus et similia.

Stadium secundum.

Stadii secundi decursus haud multo longiore tempore quam prioris finitur et aliquot dies durare videtur, tres forsitan ad septem usque dies.

Incipit hoc stadium ab illo inde tempore quo pus in glandula proxima secerni coepit, et ad eum usque diem durat, quo pus exitum per cutem sibi aperit.

Symptomata *localia* haec fere sunt: inflammatio in vase lymphatico *diminui* et in *glandula proxima lymphatica auferi solet*; nec non caetera symptomata. Tumor potissimum glandulae augetur, pusque colligitur in textu celluloso, quod fluctuatione cognoscitur.

Pus saepius non in glandula ipsa sed in textu cellulari colligitur, et haud raro hoc exulcerato, illa integra manet.

Pus a pure textus cellularis non differre videtur.

Symptomata universalia continuantur, et non nisi tum mitiora fieri incipiunt, cum suppuratio perfecta est.

Vasa lymphatica in hac periodo interdum duritiem primi stadii servant et tument licet inflammatio minuatur.

Stadium tertium.

Tertium stadium ab illo momento, quo pus prorumpit usque ad sanationem durat, et septem aut paucioribus interdum diebus absolvitur.

Puris copia sensim sensimque diminuitur et abscessus clauditur cicatrice exigua vix animadvertenda.

Durities in textu cellulari circa glandulam interdum per aliquod tempus post sanationem durat.

Quodsi male curatur eiusmodi inflammatio v. c. epithematibus humidis calidis, chronicam non raro indolem assumit.

Symptomata universalia fere nulla.

Exempla huius inflammationis sunt: inflammatio vasis lymphatici digiti post morsum muris irati; et alia post impositionem emplastri diachyli in vulnus recens contusum manus, quarum utraque usque ad glandulam lymphaticam axillam progressa est, quae in suppurationem abiit, et diebus circiter bis septem et quod excurrit sanata prorsus est.

V.

Inflammatiō secundaria s. sympathica systematis lymphatici.

Symphathica systematis lymphatici inflammatio ex alio organi contigui s. vicini inflammatione oritur.

Omnium frequentissime, licet in genere raro, inflammatio syphilitica membranae mucosae urethrae quoddam vas

lymphaticum simul corripit, quod nomine bubonuli notum est, praeterea inflammatio textus cellulosi vasa lymphatica simul afficit; nec non interdum glandularum.

Symptomata *localia* mitioris indolis, caeterum eadem sunt, quae idiopathicae inflammationis, quod etiam de toto decursu et periodis valet.

Symptomata *universalia* fere nulla adsunt, neque si adsunt, differunt ab iis idiopathicae.

Facile chronicam indolem induunt symphathicae inflammationes.

VI.

De chronica systematis lymphatici inflammatione.

Lymphatica inflammatio tunc chronica fieri habenda est, cum spatium bis aut ter septem circiter dierum excedit. In omni stadio in chronicam mutari potest.

Symptomata ab iis quibus acuta insignitur, non differunt, mitiora modo sunt.

VII.

De sequelis inflammationis systematis lymphatici.

Sequelaе inflammationis systematis lymphatici hae fere sunt:

1. *Ruptiones, exulcerationes et destructiones*, post vulnera.
2. *Obstructiones, coarctationes et concrectiones* ita ut transitus lymphae prorsus impediatur.
3. *Indurationes et crassitudo tunicarum aucta.*
4. *Dilatationes et varicositates.*

B. SYSTEMA GLANDULOSUM.

I.

De natura et functionibus systematis glandularum.

Glandulae, quae systema glandulosum constituunt, organa sunt globosa e propria substantia conflata quae vasis et nervis instructa est et cava membranacea circumdat, destinata ad praeparandum et secernendum fluidum peculiare.

Glandularum duae classes distinguuntur: *perfectarum* altera, altera *imperfectarum*; ad illas pertinent: glandulae pituitariae, sebaceae, salivales, lacrimales, tonsillae, pancreas, testiculi, ovaria, hepar, prostata, renes et glandulae Cowperi; ad has, glandulae lymphaticae, lacteae, thyreoidea, thymus, lien et renes succenturiati.

Glandulae non sine animali et organica sunt sensibilitate.

Fluida quae glandulae secernunt, materiae sunt, destinatae aut ad varios usus corporis, v. c. fel, semen, pituita, aut ad excretionem v. c. urina.

Glandulae aliae fluida quae per eas transeunt, mutant, v. c. lymphaticae; aliae fluida e sanguine secernunt, v. c. testiculi, hepar; aliae e sanguine fluida excernunt, v. c. renes. Se - et excretio glandularum interdum augetur, interdum minuitur, interdum mutatur, interdum prorsus cessat v. c. secretio bilis, pituitae. Usus quem vitae sustentandae praestant, maximi momenti est.

II.

De varietate inflammationis systematis glandulosi.

Cum glandulae imperfectae et potissimum lymphaticae natura et functionibus a perfectis differant, de his seorsim

disserendum erit, ita ut primum de lymphaticis deinde de aliis glandulis imperfectis loquamur.

A) Glandulae imperfectae.

1) *Lymphaticae.*

Glandulae lymphaticae raro primaria sed facile sympathica affectione irritantur ex aliorum systematum aut organorum inflammatione oriunda v. c. glandulae tonsillarum et inguinales etc. irritatione inflammatoria perimysii musculorum proximorum in quorum superficie haerent; glandulae subaxillares tument in inflammatione mammarum etc.

Glandulae lymphaticae lympham morbose mutata per eas transeunte afficiuntur, v. c. in scrophulis, in absorptione miasmatis per vulnus quo proximae inflammantur.

Glandulae frequentius irritatione inflammatoria quam vera inflammatione corripuntur; quare saepe tument, licet non inflammatae sint.

Glandulae licet tumeant, vasa lymphatica per eas transeuntia non obturata sunt.

Glandulae lymphaticae internae, in cavis, raro inflammantur, sed plerumque inflammatoria irritatione afficiuntur.

Inflammationis glandularum lymphaticarum variae species hae fere sunt.

1. Ratione *causae* sunt vel *quantitativae* vel *qualitativae* (cf. pag. 2 nr. 2). Exemplum prioris est inflammatio glandulae subaxillaris a vulnerato et inflammato vase lymphatico digiti profecta; *posterioris*: inflammatio eiusdem glandulae e contagio pestilente orta.

2. Ratione *coniunctionis causarum* inter se, vel *pura* est, ab una causa, vel *complicata* a duabus aut pluribus causis orta. v. c. a vulnere venenato.

3. Ratione *nexus cum causa* vel *primaria s. idiopathica* est, vel *secundaria*, et haec rursus aut *sympathica* est aut *metastatica*. Bubo syphiliticus est *idiopathica*; bubo

e suppressa blennorrhagia urethrae *metastatica*; bubo e scorica inflammatione fibrosarum membranarum regionis inguinalis, *sympathica* inflammatio.

4 Ratione decursus, vel *acuta* vel *chronica* est, istius exemplum est inflammatio glandulae subaxillaris e vulnerato vase lymphatico bis aut ter septem diebus decurrens; huius, inflammatio glandulae colli serophulosa s. scirrhusa per plures menses non absoluta.

2) *Glandulae imperfectae reliquae.*

Glandulae imperfectae reliquae: lacteae, thyreoidea, thymus, lien et renes succenturiati rarissime inflammantur, et, nisi egregie fallor fere nunquam nisi vulneratae, idiopathice, sed sympathice. Irritantur vero inflammatoria affectione interdum, et intumescunt v. c. glandulae lacteae eo tempore quo lac secerni coepit post partum.

Secundaria affectione interdum corripuntur v. c. thyreoidea ex inflammatione scorica externae membranae fibrosae laryngis et tracheae; glandulae lacteae per inflammationem cellulosa[m] aut fibrosam mammarum etc.

Variae species igitur inflammationis harum glandularum distingui nequeunt.

B) *Glandulae perfectae.*

Glandularum perfectarum quaelibet propria et peculiari vita et functione pollet, quare peculiaribus quoque affectionibus inflammatoriis vexatur;

Verum cum omnes aliquid commune habeant, secretionis functionem, communes quoque quasdam morbosas mutationes inflammatorias puta, habent, de quibus solis hic sermo esse potest.

Quare hae modo diversae affectionis inflammatoriae species distingui possunt:

1. Ratione causae sunt vel *quantitativae*, vel *qualitativae*, huius exempla sunt *inflammatio syphilitica* glandularum pituitarum, prostatae?, testiculi?, istius inflammatio scorica eorundem organorum.

2. Ratione *coniunctionis causarum* inter se, esse potest vel *pura* vel *complicata*, haec v. c. inflammatio *scrophulosæ syphilitica glandularum mucosarum*, illa, inflammatio traumatica hepatis.

3. Ratione *nexus cum causa*, vel *idiopathica* s. *primaria* vel *secundaria* et haec vel *sympathica* vel *metastatica* est. Istius exemplum est inflammatio glandulae salivialis a calculo orta; *sympathicae* blepharitis glandulosa ab inflammatione scorica palpebrarum; *metastaticae*, orchitis a suppressa blennorrhagia urethrae.

4. Ratione *systematum* s. *organorum* aliorum simul inflammatorum vel *simplex* vel *composita* est; inflammatio tonsillarum cum inflammatione membranæ mucosae oris et fibrosae musculorum contiguorum, composita est.

5. Ratione *decursus*, *acuta* et *chronica* est.

6. Ratione *gradus* vel *vera inflammatio* vel *irritatio inflammatoria* esse potest; huius exempla sunt: ptyalismus, *irritatio inflammatoria prostatae* in blennorrhagia urethrae.

7. Ratione *organorum* tot sunt species quod organa glandulosa, quae sunt:

1) Inflammatio glandularum mucosarum:

a. glandularum s. cryptarum membranarum pituitarum, cf. pathol. syst. pituit. p. 1. seqq.

b. — Meibomii in blepharitide glandulosa.

c. — mucosarum tendinum.

d. — — subcutanearum articularum, Schregeri, in Lupiis..

2) — glandularum sebacearum in acne, in furunculo.

3) — — salivarium, in parotide vera.

4) — — tonsillarum, in angina tonsillari sympathica.

- 5) Inflammatio pancreatis, in pancreatitide.
- 6) — hepatis, in hepatitide.
- 7) — renum.
- 8) — prostatae.
- 9) — ovariorum.
- 10) — glandularum Cowperi.

III.

De causis inflammationis systematis glandularum.

Causae *disponentes* inflammationis systematis glandulosa cernuntur in dispositione haereditaria, inprimis scrophulosa; in vitae genere, non salubri; habitationis loco humido et exhalationibus nocivis circumdato, cibusque corruptis, morbis praegressis etc.

Causae *occasionales* variae sunt:

mechanicae, v. c. laesiones, contusiones, compressiones;

dynamicae in corpore, inflammatio vasorum lymphaticorum, lymphamorbosa, potissimum scrophulosa; dyscrasiae v. c. scrophulosa, scirrhusa, canceratica, suppressae se et excretiones, inflammationes, exanthemata, impetigines etc., febres antegressae crisesque incompletae, commotiones animi ingrati, moeror.

— *extra corpus*, aer et locus habitationis humidus et exhalationibus noxiis stipatus, victus non salubris, refrigeria, venena, miasmata et contagia resorpta per vasa lymphatica saucia et non saucia etc.

IV.

De irritatione inflammatoria systematis glandularum.

Irritatio inflammatoria glandularum, inflammationi earum chronicae admodum similis, verum tamen ab ea diversa est. Haec enim per stadia sua, licet tarde decurrit; illa vero semper in atrio primi stadii inflammationis subsistit; et si vel maxime in primo stadio chronica facta est inflammatio glandularum, ab irritatione inflammatoria earum tamen differt; illa enim symptomatibus inflammationis, dolore licet lenissimo, ruboreque licet exiguo insignitur; haec vero non nisi tumore sese conspicuam reddit, licet per longissimum temporis spatium duret.

Irritatio igitur inflammatoria glandularum non nisi tumore cognoscitur, breviusque aut diutius durare potest; pro stimuli natura et indole.

Occurrit haec irritatio inflammatoria frequentissime imprimis in glandulis lymphaticis; nec haud raro in aliis v. c. in thyreoidea, prostata, testiculo, hepate etc. et varias habet causas.

In glandulis lymphaticis causa est in indole lymphae scrophulosae; haec enim peculiari corrupta est acrimonia, quae glandulas irritat, efficitque ut intumescant. Quoad iste stimulus non nimis vehementer irritat, glandulae non vere inflammantur, sed in illo statu permanent, quem irritationem inflammatoriam nominamus; quando vero lympham magis corrupta vehementius glandulas irritat, re vera inflammantur, et per stadia inflammationis verae abripiuntur.

Iam cum hae glandulae per lympham corruptam irritatae sint, patet, eas a medico, resolutionem tentante, medicaminibus irritantibus haudquaquam debere curari sed potius demulcentibus, teste experientia.

*De acuta idiopathica inflammatione
systematis glandularum.*

Systematis glandulosi inflammatio multo minus frequens est, quam irritatio inflammatoria.

Facile chronica fieri solet, imprimis tum cum a causis dynamicis orta fuit.

Stabilis est haec inflammatio, nec ad alia systemata, excepto cellulare facile transit.

Vehementior saepe systema cellulare vicinum simul corripit eiusque characterem tum simul assumit, immo nonnunquam hoc solummodo destruit, dum salva manet glandula.

Varia sunt symptomata huius inflammationis pro varia, diversarum glandularum natura; alia lymphaticarum, alia testicularum, alia hepatis etc.

Facile indurantur glandulae, potissimum si inflammatio male curatur.

Tempus decursus inflammationis pro diversitate glandularum differt; tribus caeterum stadiis absolvitur.

Primariae inflammationis idiopathicae glandularum formae hae fere sunt:

1. *quantitativae*: traumatica, scorica, hydrargyrea, scrophulosa, scirrhusa.
2. *qualitativae*: syphilitica, contagiosa, miasmatica, venenata.

Stadium primum.

Temporis spatium primi stadii pro natura glandulae affectae differt, brevius in aliis, in aliis longius esse solet; in lymphaticis aliquot diebus absolvitur, imprimis a causa traumatica.

Symptomata localia modo leniora modo vehementiora pro natura glandulae et caussae esse solent; *dolor obtusus*,

pruriens, interdum lancinans et pungens, nonnunquam urens instar carbonis candentis; tumor haud exiguus, interdum enormis, circumscriptus, durus, ab initio mobilis, nonnunquam inaequalis, fere semper praecurrens caetera symptomata; Rubor aut nullus aut pallidus, raro intensior; Calor auctus, nonnunquam vehementior. Interdum symptomata in partibus vicinis, et remotis sese manifestant, v. c. in hepatitis. Nonnunquam functiones partium proximarum tumore impediuntur, v. c. tumore thyreoideae.

Universalis symptomata, quae nonnunquam accedunt, febrilia sunt, nervosa aut inflammatoria, et interdum pro re nata majoris vehementiae, v. c. in inflammatione testiculi, hepatis, renum etc.

Stadium secundum.

Secundum stadium ab illo inde momento inchoatur, quo pus aut lymphæ (v. c. in bursis mucosis) secerni coepit, et usque eo durat, dum exitum sibi aperit pus ad partes externas; quod modo brevius, modo longius tempore, aliquot diebus, aut hebdomadibus perficere solet. Symptomata localia et universalis eadem in genere sunt, quæ inflammationis systematis cellularis; varia tamen ratione pro natura et conformatione, functione et situ glandulae affectae distinguuntur. Alia in suppuratione hepatis, alia in renum, testiculorum aut prostatae exulceratione. Tumor v. c. in medio non acuminatus est.

Pus interdum ad partes internas exitum sibi aperit, v. c. in intestina in hepatitis.

Stadium tertium.

Tertium stadium ab illo tempore quo pus e foco inflammationis ad externas aut internas partes viam sibi aperuit, usque ad perfectam sanationem durat.

Patet, tempus pro diversitate glandularum et viae qua pus prorupit, diversum esse. Symptomata, in genere

tertii stadii systematis cellularis i. e. suppurationis, pro varia glandularum natura, functione, variaque situ etc. differunt.

Haud raro induratio glandularum remanere solet.

VI.

De acuta secundaria inflammatione systematis glandularum.

Haec vel sympathica, vel metastatica esse solet.

a. sympathica.

Sympathicae inflammationis glandularum, quae ex inflammatione systematis seu organi contigui s. coniuncti oritur, hae fere formae primariae sunt :

Inflamatio sympathica glandularum

- 1) ex inflammatione vasis lymphatici v. c. vulnerati oriunda;
- 2) — — alius glandulae vicinae oriunda, v. c. axillaris ex inflammatione mammae; inguinalis, ex inflammatione testiculi;
- 3) — — membranae fibrosae contiguae, ex. gr. tonsillarum, salivarium, mammarum, lacrymalis, thyreoideae, testiculi et epididymidis, prostatae, renum et lymphaticarum glandularum, quae omnes saepius sympathice quam idiopathice inflammantur; — potissimum et fere semper: tonsillares, lacrymales et epididymis.

In his inflammationibus stimulus inflammatorius — plerumque scorificus — sedem suam haudquaquam in glandula sed in membrana fibrosa subjacente habet, simul vero glandulam corripit.

Inde fit ut symptomata sympathicae inflammationis glandulosae e symptomatibus fibrosae et glandulosae inflammationis mixta et plerumque multo vehementiora esse soleant.

In cura semper primariae fibrosae inflammationis potissimum ratio habenda est.

b. metastatica.

Metastatica inflammatio glandularum originem ducit a suppressa inflammatione alius organi aut a crisi incompleta febris cuiusdam.

Exemplo esse potest inflammatio glandularum lymphaticarum colli a suppressa tinea capitis; testiculi et prostatae a suppressa blennorrhagia urethrae. Symptomata localia sunt ea, quae glandulosae inflammationi competunt, verum haud raro graviora et pertinaciora; universalialia a vehementia inflammationis pendent, nec non a causa.

VII.

De chronica systematis glandularum inflammatione.

Inflammatio chronica hujus systematis neque causis, neque symptomatibus sed decursu solum longiore ab acuta differt, habetque symptomata stadii in quo in chronica facta est.

VIII.

De sequelis glandulosae inflammationis.

Sequelae inflammationis glandulosae paucae, hae fere sunt:

1. *Indurationes*, interdum cum mutata forma, v. c. testiculi, prostatae.
2. *Tumores chronici*, auctumque volumen, v. c. thyroideae, hepatis, lymphaticarum glandularum, quae interdum ad ingentem molem crescunt, subaxillares v. c. ad magnitudinem capitis infantis; mammae (secundum observ. auctoris) ad magnitudinem talem ut quando mulier sedebat, genibus sustineretur, et libras viginti quinque abscissa penderet.

- 3. *Imminutum volumen*, et ita quidem nonnunquam ut *prorsus evanescant*, v. c. mammae, testiculi, lien.
- 4. *Morbosae mutationes*, v. c. in massam fungosam, medullarem, adiposam, cartilagineam, sarcomatosam, osseam, scirrhosam etc.
- 5. *Corpora nova in iis formata*, v. c. tubercula, calculi, hydatides, tumores cystici, aneurismata et varices etc.

VII

De chronicis systematis glandularum

Infiammatio chronica hujus systematis hepatis, pancreatis, vesiculae felleae, glandulae thyroideae, prostatae, testiculi, vesiculae seminales, ut dicitur, non est in se habet, habetque symptomata stabiliis et in se habet.

VIII

De sequentiis glandularum in inflammatione

In sequentiis inflammationis glandularum hepatis, pancreatis, vesiculae felleae, glandulae thyroideae, prostatae, testiculi, vesiculae seminales, ut dicitur, non est in se habet, habetque symptomata stabiliis et in se habet.



PATHOLOGIAE

SYSTEMATIS SYNOVIALIS, CARTILAGINOSI ET MUSCULOSI

BREVIS ADUMBRATIO

A. SYSTEMA SYNOVIALE.

I.

Natura et functiones systematis synovialis.

Systema synoviale, constat e membranis tenuibus, semipellucidis, albicantibus, synoviam secernentibus, quae superficies articulares investiunt, artusque mobiles inter se coniungunt.

Saccos cavos undique clausos formant, et a parte aversa cum cartilaginibus, membranis fibrosis, ligamentis, capsulis articularum aut textu celluloso uniuntur.

Interna earum superficies laevis, glandulas aliquot parvulas mucilaginosas. — Haversii dictas — continet.

Sensibilitate prorsus aut maximam partem carent.

Functio systematis synovialis constat in secernendo humore, synovia dicto, qui ad mobilitatem iuvandam inseruit, et impedit quominus articularum capita inter se concrecant.

Differt ergo hoc systema a seroso; nam neque halitum serosum secernit, nec lympham plasticam quando inflammatur, neque unquam concresecunt membranae synoviales inflammatae.

Ad systema synoviale pertinent etiam vaginae tendinum et bursae mucosae articularum.

II.

De varietate inflammationis synovialis.

Haud magna inflammationis huius systematis varietas est, primariae classes eius hae sunt:

1) Ratione *gradus* vel *irritatio inflammatoria* vel *vera inflammatio* distingui potest. Illa v. c. in hydrarthro, haec in laesione mechanica nonnunquam adest.

2) Ratione *nexus cum causa*, vel *primaria* est vel *secundaria* s. sympathica. Istius exemplum est inflammatio a vulnere, huius inflammatio ab inflammatione membranae fibrosae articuli profecta.

3) Ratione *coniunctionis causarum inter se*, vel *pura* vel *complicata* est; haec v. c. ea est, quae a stimulo scorico et laesione oritur.

4) Ratione *decursus*, vel *acuta* est vel *chronica*.

5) Ratione organorum distinguntur inflammationes:

a) membranarum synovialium,

b) vaginalium tendinum,

c) bursarum mucosarum.

Caeterum haud facile variae istae inflammationes inter se discernuntur.

III.

De causis inflammationis systematis synovialis.

Causae disponentes eae fere sunt, quae ad systematis fibrosi inflammationes disponere solent, congenita nimirum harum membranarum nimia sensibilitas aut debilitas, dispositio arthritica, habitatio et vitae genus humidis exhalationibus stipata et huius generis alia.

Causae occasionales locales:

mechanicae sunt laesiones et vulnera, contusiones, corpora peregrina, verum raro, nisi aer ad interna cava penetret;

dynamicae, locales, aeris tactus per vulnerum orificia, pus et sanies; *universales*, refrigeria, cachexiae scoricae, arthriticae, hydrargyri abusus? suppressae se- et excretiones naturales et praeternaturales, exanthemata, crises imperfectae.

IV.

De irritatione inflammatoria systematis synovialis.

De hac affectione inflammatoria membranarum synovialium parum inter viros artis peritos constat.

Cum huius systematis inflammatio plerumque cum inflammatione membranarum et partium contiguarum potissimum fibrosarum coniuncta sit, eius symptomata difficillime rite observari et ab illis inflammationis adiacentium partium distingui possunt.

Symptomata huius irritationis, pro natura membranarum, mitissima esse solent, et non nisi ab attento oculo, dum pura sunt, cognoscenda.

Dolor est lenissimus ac sensus pressionis, mobilitatisque liberae impeditae, frictionis ingratae superficierum condylorum in articulis; siccitatis s. ariditatis articuli; cuius sensus causa est imminuta synoviae secretio (in se ipse obs. auctor.)

Calor naturalis articuli auctus est, ita ut non aegrotus modo sed medicus etiam manu calorem sentiat. Tumor fere nullus adest, neque rubor.

Praeterea membra, quorum articuli hac affectione correpti sunt, difficilius moventur, licet haud cum dolore, cum sensu tamen paululum ingrato.

Nisi causa, quae plerumque in suppressa exhalatione cutis sita est, removeatur, mox graviora symptomata inflammationis membranarum fibrosarum, in quibus primaria affectionis sedes est, mitiora synovialium membranarum affectionis symptomata obscurant, ita ut amplius animadverti et ab iis distingui nequeant.

V.

De inflammatione systematis synovialis.

Sapienter a natura cautum est, ne facile inflammantur membranae synoviales, quae tantopere et tam continuo exercentur, fricantur, premuntur et irritantur continuo artum motu, pondereque totius corporis, potissimum eae quae partium inferiorum articulos investiant; quare sensibiles eas esse noluit.

Rarissime ergo inflammantur et plerumque sympathice per inflammationem membranarum fibrosarum contiguarum.

Tum vero inflammationis membranarum synovialium symptomata mitissima, ob vehementiam symptomatum membranarum fibrosarum adiacentium vix ac ne vix quidem cognosci possunt.

Errant igitur viri docti, qui graviora inflammationis articulorum symptomata membranarum synovialibus adscribunt, uti Brodie aliique, cum revera fibrosarum membranarum sint.

Symptomata vehementiora quae membranae synoviales vulneratae ita ut synovia effluat, ostendunt, non synovialium sed fibrosarum membranarum sunt, quae simul laeduntur et inflammantur.

Inflammatio membranarum synovialium propter summam earum tenuitatem ad contigua organa statim transit.

Inflammatio idiopathica et sympathica, acuta et chronica systematis synovialis eadem fere symptomata habet, nec nisi citiore aut tardiore decursu distinguitur.

Stadium primum.

Symptomata primi stadii localia levissima sunt: dolor fere nullus, excepto sensu ingrato pressionis, motus difficilioris et siccitalis articuli; calor paululum auctus, tumor roborque nullus.

Universalialia symptomata inflammationis non adsunt, nisi forsitan symptomata causae v. c. refrigerii, quae sunt scoricae indolis.

Synoviae minorem copiam in primo stadio secerni non modo ex analogia cum aliis membranarum secernentibus patet, sed etiam e symptomatibus cognoscitur.

De temporis spatio huius inflammationis nondum constat.

Stadium secundum.

Eadem in genere secundi stadii symptomata sunt quae primi, excepto sensu siccitatis articuli.

Secernitur nimirum in hoc stadio major synoviae copia; oriturque hydrarthros s. hydrops articuli.

Ex illa synoviae nimia quantitate oriuntur nova symptomata; nimirum tumor fluctuans formam articuli et ligamentorum comprimentium ex parte tumorem servans; motus membri paululum impeditus ita ut minus flecti possit, quam in statu sano.

Praeter sensum tensionis dolor nullus adest, neque rubor, neque calor.

Haec lymphae accumulatio caeteraque symptomata etiam in vaginarum tendinum inflammatione locum habent.

Caeterum mobilitas articuli parum modo impedita est.

Universalia symptomata non observantur, nisi forsan causae.

Hoc stadium modo breviori modo longiore tempore decurrit.

Stadium tertium.

Rarissime observatur, et non nisi tum cum inflammatio composita est.

Aperitur tunc tumor ope inflammationis textus cellulosi? effluitque synovia morbosa — Verum ne confundatur inflammatio fibrosa cum hac synoviali, in illa enim pus extra cavum articuli in tela cellulosa colligitur et interdum destructis capsulis et ligamentis articularum in cava eorum irruit, membranasque synoviales, cartilagine et ossa corrodit et destruit.

Cum membranae fibrosae et capsulae articularum semper simul afficiantur, plerumque ankylosis spuria sequitur eiusmodi inflammationes.

VI.

*De sequelis inflammationis systematis
synovialis.*

Sequelae huius inflammationis non tam inflammationis synovialis purae sunt, quam compositae cum aliarum potissimum membranarum fibrosarum inflammatione, et huius praecipue sequelae sunt; nimirum

Exulcerationes, aucta crassitudo, indurationes, mutatio in cartilagineum (Bichat III. 113), ankyloses spuriae, necrosis cartilaginis, nudatio condyli, et laevigatio et resorptio, crepitus articuli moti, ankylosis vera, ganglia, arthronci, et concrementa calcarea.

**B. SYSTEMA CARTILAGINOSUM
ET FIBRO-CARTILAGINOSUM.**

I.

*Natura et functiones systematis carti-
laginosi.*

Systema cartilagosum et fibro-cartilagosum constat ex organis duris, levibus, firmis, solidis, elasticis, albicantibus, partim e mera cartilaginea, partim e compagine fibro-cartilaginea conflatis.

Vasa sanguifera et nervi in iis non conspiciuntur, quare vulneratae neque dolent neque sanguinem mittunt.

Aut utraque superficie liberae sunt, v. c. cartilagineae intermediae articularum, — aut una tantum, v. c. cartilagineae articulares; aut neutra v. c. cartilagineae suturarum.

Investiuntur perichondrio — tunica fibrosa — aut membrana synoviali.

Varium corpori usum præstant, ad formanda organa, cava, meatus, aut ad iuvandum et tuendum motum corporis et membrorum, ad tuenda ossa etc.

II.

De inflammatione systematis cartilaginei.

Rarissime cartilagine, raro cartilaginee fibrosae inflammantur, et fere nunquam idiopathice; sapienter scilicet ita natura motui artuum continuo prospexit.

Lente decurrit horum organorum inflammatio, incertaque tempore.

Symptomata localia in cartilaginibus fibrosis sunt: ruboris non inorta vestigia (in vertebrarum cartilaginibus vidit auctor), tumor exiguus et vix conspiciendus; dolor nullus.

Mechanicis et chemicis causis v. c. laesionibus inflammari non videntur; contusionibus violentis forsitan cartilaginee fibrosae.

Sympathice plerumque per ossium aut perichondrii inflammatione et exulceratione chronica interdum afficiuntur. (ex inflammatione e carie vertebrae vidit auctor.)

Haud raro resorbentur ob turbatam per inflammationem periostei condylorum et capsularum articulorum nutritionem. Tunc levitatem et compactam structuram perdunt, fibrosam et lamellosam ostendunt, et sensim prorsus evanescent, ita ut superficies condylorum ab iis nudatae internam spongiosam suam compagem ostendant, aut, instar eboris levigentur, crepitumque, dum artus moventur, edant.

Differt hic crepitus ab illo, qui tum auditur, cum ob ligamentorum inaequalem laxitatem, articuli membrorum sonum obscurem et rautum non secus ac cartilaginum invicem collisarum edunt, dum iste *ossium* collisorum est.

Ista cartilaginum resorptio haud apte a nonnullis exulceratio dicitur, siere enim solet sine suppuratione, et absque dolore, nisi forsitan fibrosa organa simul inflammata sint, quod fere semper esse solet.

Interdum cartilaginee articulares suppuratione articuli et ossium prorsus a superficie condylorum solvuntur et per longum tempus — plures menses — non mutatae in pure natant. (exper. auctor.)

Nonnunquam loco cartilaginis resorptae, condyli superficies osse luxuriante obducitur, quod a margine circumcirca generari et totum condylum strato, plures interdum lineas crasso, contegere solet, nec non foveas articularum.

Interdum inflammatae novam materiam cartilagineam generant, v. c. in cartilagine nasi. (exp. auct.)

Interdum in materiam osseam mutantur.

Transcissae non nisi perichondrio uniuntur.

Impune laedi et sutura cruenta uniri possunt, v. c. cartilaginee palpebrarum.

C. SYSTEMA MUSCULOSUM.

I.

De Natura et functione systematis musculosi.

Systema musculosum ex organis constat, quae e rubicundis filamentis, fibris et fasciculis huc illuc obliquatis conflata vasisque et nervis multis instructa, perimysio circumdata irritabilitateque et facultate sese contrahendi praedita sunt.

Vaginae quae musculos circumdant, et fasciculos, fibrasque compaginis muscularis comitantur, fibrosae indolis sunt.

Systema musculosum motus sedes et organum est;

Substantia musculorum cum perit laesione aut suppuratione, non instauratur.

Duplicis generis muscoli distinguntur animales et organici, horum actio semper sine interruptione continuatur, illorum non item.

II.

De inflammatione systematis muscularis.

Ut inflammatio musculorum idiopathica a causis dynamicis profecta rarissime aut prorsus non occurrat, natura, motui animalium necessario cavens, sapienter prospexit.

Quando a mechanicis causis, vulneribus, laesionibus etc. inflammatio proficiscitur: mitissimis symptomatibus et instar inflammationis systematis cellulosi, cum suppuratione in stadio secundo decurrit.

Quandiu corpora peregrina in illis infixata haerent, libere moveri nequeunt, sed spastice contrahuntur.

Quando secundaria affectione sympathice inflammantur, e perimysio vaginisque fibrosis musculos investientibus inflammatio oritur, huius systematis — fibrosi puta — symptomata prae se fert, et revera non nisi in illis fibrosis membranis haeret.

Eadem affectione, spastica tum corripuntur quae fibrosas membranas inflammatas contrahit; suntque duplicis generis spasmi: continui — spasmi tonici — aut intermittentes — spasmi clonici. —

Interdum paralysis inde oriuntur, quibus se contrahendi facultatem perdunt.

Dolor, rubor, in illis inflammationibus sympathicis in musculis ipsis non observantur, tumor tamen durus circumscriptus, a contractione musculorum potissimum oriundus.

Quando musculi animales nimis diu et continua intentione voluntatis ad functionem s. contractionem coguntur, sponte primum per minima intervalla, — tremunt — deinde prorsus remittunt, voluntatique amplius obtemperare nequeunt.

Subito tunc, invita voluntate, relaxantur, manentque in illo statu paralytico aut breve modo tempus, aut diutius, menses, annos, semper.

Praeter quietem ne ullum remedium statum illum tollere valet.

De natura et functione systematis...

Systema nervosum est quod in omnibus partibus corporis humani reperitur, et quod est causa motus et sensus...

Systema musculorum est quod in omnibus partibus corporis humani reperitur, et quod est causa motus...

Systema vasorum est quod in omnibus partibus corporis humani reperitur, et quod est causa nutritionis...

Systema secretorium est quod in omnibus partibus corporis humani reperitur, et quod est causa secretionis...

Systema reproductivum est quod in omnibus partibus corporis humani reperitur, et quod est causa reproductio...



ni abditiora subditioribus illi ni ...
— in ...
— in ...
— in ...
— in ...
— in ...
— in ...
— in ...

PATHOLOGIAE
SYSTEMATIS OSSIIUM
SUCCINCTA ADUMBRATIO.

I.

*De natura et functione systematis
ossium.*

Systema ossium est apparatus ille mechanicus, qui organis duris, compactis, elasticis, e terra calcaria et gelatina conflatis constat, sceleti nomine notus.

Ossium compagem tela cellularis rigida constituit; cellulasque rete vasculoso repletas, — ossa spongiosa, — aut ossa compacta format. Ossa cava medulla replentur.

Ossa nascuntur e primigenia cartilagine, laesaque aut emortua instaurantur verrucis carnosae quae in callum, — cartilaginem — et tandem in osseam substantiam ope periostei externi et interni propriaeque vi organico-plastica mutantur.

Ossibus competunt periosteum, membrana medullaris, vasa sanguifera, lymphatica et nervi, licet duo posteriora in iis non distincte animadvertantur.

Vario modo inter se musculis, ligamentis, cartilaginibus et suturis coniunguntur, ita ut vel mobilia vel immobilia sint.

Sensibilitate carent, nequaquam vero periosteum externum et internum quod nutriendo ossi inseruit.

Inserviunt figurae formaeque corporis constituendae, motui artuum et organis variis tuendis.

II.

De varietate et divisione inflammationis systematis ossium.

Os ipsum, id est: substantia ossea, nunquam inflammatur idiopathice; sed per inflammationem organorum cum ea intine coniuكتورorum potissimum vasorum cellularum spongiosarum ossium et periostei, nutritio eius interdum ita *mutatur* ut vel volumine *augeatur* vel *diminuatur*; verum revera non inflammatur.

Apophyses prorsus non afficiuntur neque idiopathice neque sympathice, neque cum vulnerantur, inflammantur.

Inflammatiо ossium ergo non nisi in periosteо externo et interno, et vasis partium spongiosarum ossium, — exceptis apophysibus — locum habet.

Iam cum de periostei inflammatione in sectione de systemate fibroso sermo fuerit, hic non nisi de inflammatione membranae medullaris et spongiosi parenchymatis seu potius vasorum et membranarum eius sermo esse potest.

Neque inter acutam et chronicam inflammationem distinguere licet, quippe cum semper chronicae indolis esse et lente, per plures menses et annos interdum decurrere soleat.

Nec ratione causarum varias formas huius inflammationis distinguere licet; quod in sequente capite exponetur.

Ratione *nexus causarum cum inflammatione, idiopathicam et sympathicam* forsā distinguere licet.

III.

*De causis inflammationis systematis
ossium.*

Primum ea enumerabimus momenta, quae vulgo in causarum inflammationis ossium numero — sed falso — habentur; quae sunt:

1. *Contusiones, laesiones, vulnera* et fracturae. His vero, quamvis summa violentia ossa percusserint, inflammatio vera nasci non videtur, interdum vero necrosis.

2. Fluida chemica, caustica, flammaque et huius generis alia, necrosin quidem, neququam vero inflammationem ossium efficere solent.

3. Dynamica momenta universalialia et localia, quantitativa et qualitativa, contagia, miasmata et venena, cachexiae scoricae, scorbuticae, metastaticae, syphiliticae, scirrhusosae etc., nunquam idiopathicae, rarissime sympathicae ossium, saepe vero periostei inflammationis causae sunt.

Unica causa, quae idiopathicam inflammationem non dicam osseae compaginis, sed spongiosi retis vasorum — excepta tamen apophysii, quae non afficitur — secundariam vero forsitan spongiosae compaginis efficit et gignit

Cachexia scrophulosa

esse videtur. Haec sola — quantum quidem experientia diligens et accurata docet — inflammationis — si quae est — interioris compaginis spongiosae seu potius organorum, quibus cellulae repletae sunt, causa esse videtur. Alias causas ego quidem non novi.

Utrum vulnerata inflammentur propterea non constat, quod symptomata inflammationis non observantur.

IV.

De inflammatione idiopathica systematis ossium.

Inflammatio idiopathica systematis ossium, ut iam dictum est, non nisi a cachexia scrophulosa oritur, et lente incertoque tempore decurrit.

Sedem suam semper in ossibus spongiosis, aut partibus spongiosis ossium longiorum, — nunquam in media compacta parte — neque in apophysibus habet, ad quas nunquam progreditur.

Haec inflammatio similis est inflammationi systematis cellulosi, non solum ratione decursus per tria stadia — licet tardioris — sed etiam ratione producti, seu materiae morbosae per inflammationem generatae, scilicet puris, licet verum pus nequaquam secernatur.

Fixa et immobilis haeret in loco quo oritur, nec ad partes vicinas, nisi in tertio stadio, quo abscessus aperitur, progreditur.

Symptomata duplicis generis interna et externa pro periodorum diversitate diversa sunt.

Infantilem potissimum aetatem haec inflammatio infestare solet.

Sequelaе variae a constitutionis indole quidem, magis vero a medelae adhibitae iustae an perversae ratione pendunt; de quibus infra.

Stadium primum.

Primi stadii initium externis symptomatibus localibus prorsus non cognoscitur, neque progressus eius, nisi forsitan tumore, qui in ea ossis parte, quae inflammationis sedes est, nasci solet.

Caeterum neque dolor, neque calor, neque rubor, neque coenæsthesis localis et universalis mutata, neque ulla alia mutatio morbosa externa primas huius inflammationis originis prodit. Universalia symptomata sunt ea quae scrophulosa vulgo dicuntur.

Interna symptomata, quae non nisi sectione cognoscuntur, haec fere sunt:

In primo initio color rubicundus parenchymatis spongiosi sensim obscuriorem colorem induit, et e rubro nigrescit. Successu temporis pars quaedam spongiosi ossis, media fere, livescere, flavescere, incanescere et a caetero osse circumcirca, lucido suo calore sese distinguere coepit.

Haec coloris nativi mutatio signum est, particulam illam in eo esse, ut enoriatur, vel ut cum schola loquamur, necrosi corripitur.

Primordia igitur huius inflammationis, si eius indolis est, revera nihil aliud, nisi necrosis partialis ossis spongiosi interni est, a cachexia scrophulosa orta; nequaquam vero vera inflammatio.

Non raro in hoc stadio processus inflammationis seu necroseos, naturae aut artis ope sistitur, pars morbosa resorbetur, et omnia rursus bene se habent.

Quodsi vero haec fausta mutatio non locum habet, in secundum stadium processus morbosus transit.

Primi stadii decursus incerti temporis, modo plingior modo brevior semper vero mensium saltem esse solet.

Secundum stadium.

In hoc quoque stadio symptomata externa ab internis distinguantur necesse est.

Symptomata externa localia praeter tumorem nulla advertuntur. Tumor vero circumscriptus et durus est,



in osse ipso, neququam in partibus mollibus, nec in periosteum sedem suam habet; ad tactum prorsus non dolens, sensim sensimque et interdum ad ingentem magnitudinem augeatur. Cutis color in parte tumente non mutatur, neque calor auctus esse videtur.

Symptomata localia interna haec ferè sunt: particula spongiosa ossis, in primo stadio emortua, coloreque flavescente conspicua, in hoc stadio a partibus sanis circumcirca solvitur, nutritionis cessantis et resorptionis lege; ita ut prorsus libera ab omni parte sit. Ista ossis particula emortua, quam schola *sequestri* nomine insignire solet, plerumque fluido vario circumdatur abnormi colore et indole; modo atro seu ex atro rubro, lurido, livido, modo spissiore modo fluidiore, modo lymphae instar, modo solutionis gummi s. gelatinosae, a pure bono prorsus diverso, saniem s. ichorem forsitan interdum nominaveris.

Huius fluidi morborum plerumque parva copia, interdum vero tanta vis sensim sensimque colligitur, ut os ingentem in modum successu temporis extendatur, quae ossis mutatio interdum per multos annos, quid? quod per totam vitam durans, a schola *spina ventosa* appellari solet. Hoc vero raro fit.

Plerumque, si vires corporis sufficiunt, et processus legitime decurrit, parva modo copia fluidi sequestrum circumdat, quae postea ex parte aut prorsus resorbetur, ita ut processus hoc stadio terminetur aut in tertium transeat.

Universa symptomata nulla nisi scrophulosae affectionis sunt. Temporis spatium per quod secundum stadium decurrit, maxime diversum esse, ac modo menses, modo annos durare solet, pro constitutionis viriumque corporis medelaeque adhibitae ratione.

Stadium tertium.

In tertio quoque stadio symptomata externa ab internis distinguenda sunt, de his primum videamus, quia haec priora sunt, illa serius insequuntur.

Quam natura in secundo stadio e nexu cum sanis partibus solverat partem emortuam ossis, eam in hoc tertio stadio — si legitime omnia procedunt — serius ocius ex osse et e corpore ipso eiicit.

Symptomata *interna localia* haec sunt: Fluidum abnorme, particulam mortuam circumdans, resorbetur plerumque ex parte, maturius in illo loco, qui versus internas corporis partes spectat; et quando in extremitatibus locum habet, in illa parte, quae arteriis et nervis maioribus vicina est.

In eadem parte paulo post verrucae carneae pullulant, quae partem emortuam s. sequestrum, versus partem oppositam, externam trudent; ille vero dum partes illas tangit et premit eas simul irritat, efficitque ut eo citius resorbentur. Dum igitur hac ratione sequester ad partes externas sensim movetur, verrucae carneae indies augmentur, eumque dum profundiores in callum et os mutantur, magis magisque attollunt; quo fit ut partibus obstantibus spongiosis et ipsa externa ossis lamella resorptis, periosteum tandem attingat; quo pari modo resorpto aut exulcerato, sequester tandem ex ossis sphaera prorsus in partes molles os circumdantes, eiicitur. Ossis vero pars spongiosa, in qua sequester iacuerat, materia ossea compacta e verrucis carneis orta, repletur, et non nisi post aliquod tempus spongiosam structuram et naturalem conformationem recuperat.

Simul ac sequester ad periosteum usque protruditur, *symptomata externa*, quae hucusque, praeter tumorem, nulla fuerant, pro re nata modo leviora modo graviora haec fere observantur.

Tumor hucusque durus et quasi osseus, dolore vacans, nunc non modo interdum acerbius dolere sed dum sensim augetur, mollior fieri solet; ab initio quidem durities callosa quasi est, tumentis nimirum periostei, mox vero hoc resorpto mollior fit et tandem fluctuat.

Cutis, quae hucusque discolor non fuerat, in parte illa, qua tumor sese ostendit, *rubescere* et tandem interdum flave-

scere incipit, quo facto pus in textu celluloso collectum prorumpit, et per orificium abscessus os morbosum specilli ope distingui facile potest.

Quodsi omnia legitime procedunt, neque artis perverso auxilio naturae officina violenter turbatur, reliquus huius stadii decursus usque ad perfectam sanationem hic esse solet.

Simulac pus, inflammatione periostei et textus cellulosi, aliarumque partium mollium genitum effluxit, natura orificium abscessus, quam primum fieri potest, in angustum adducit et vallo carnosio seu fungoso, lineam circiter alto et lato, tam arte claudit, ut vix specillum tenue intrare possit. Gignitur hoc vallum irritatione fluidi quod ex osse laeso, periosteo orbatō secernitur eoque consilio a natura sapiente instauratur, ut eo melius orificium abscessus claudatur et ab omni aeris rerumque noxiarum influxu defendatur. Prorsus quippe concreescere, ante eiectionem sequestri, neutiquam debet, nam licet parum tantum puris secernatur, et saepe ne guttula quidem quotidie, et non nisi in partibus mollibus; liber tamen exitus huic puri servari debet, ne diuturna mora corrumpatur naturaeque in eiiciendo osse mortuo occupatae officiat. Simulac opus naturae perfectum osque morbosum eiectum et periosteum integrum restitutum est, illud vallum carnosum sponte et cito — nec prius — evanescit, orificium irregulari modo dilatatur, stimulo appropinquantis et, modo supra descripto, sensim sublato sequestri, irritatum et circumcirca resorptum, donec satis amplum sit ad emittendum ex imo osse per totum hocce stadium sensim adscendens vel potius protrusum os morbosum.

Quo facto paucis diebus abscessus cicatrice clauditur.

Interdum inflammatio et suppuratio in partibus mollibus vehementior est, potissimum si remediis irritantibus curatur.

Processus morbosus huius stadii in scholis *Caries* nominatur.

Tempus per quod hoc stadium decurrit, modo longius modo brevius esse solet, verum non hebdomadibus sed men-

sibus metiendum et interdum annis, potissimum in hominibus debilibus, exhaustis et rebus infaustis externis utentibus.

V.

De sympathica systematis ossium inflammatione, et irritatione inflammatoria.

Affectio ea, quam sympathicam inflammationem et irritationem inflammatoriam systematis ossium appello, revera non est inflammatio, sed mutatio morbosa eius, cum affectione inflammatoria organorum ad systema ossium pertinentium, periostei puta et organorum textus spongiosi ossium coniuncta, aut ex ea nascente.

Iam cum duplex sit focus istarum affectionum, periosteum et textus vasculosus spongiosorum ossium, de utroque videamus necesse est.

A) AFFECTIONES MORBOSAE A PERIOSTEO VEL EIUS SEDE ORIUNDAE.

Triplicis generis abnormes affectiones ossium e periosteo oriundae, esse solent: volumen *auctum*, *minutum* et *mutatum*.

I. Ossium volumen auctum

a. *periosteo integro*:

Morbosae affectiones quae tum occurrere solent, sunt

α. *aut cum legitima structura interna*; sequentes:

1. *Os luxurians*, seu auctum ossis volumen in omni directione. v. c. totius cranii, aut ossium eius, phalangum, vertebrarum, ossium longorum aliorumque, superficies condylo-
rum, post resorptam cartilagine[m], osse obducta, e periosteo circumcirca nascente. Ista ossium hypertrophia ab irritatione inflammatoria periostei nasci videtur.

2. *Exostosis*; localis circumscripta, abnormis excrescentia ossis, rubore et dolore vacans. Periosteum non inflammatum nec nisi leniter abnormi stimulo quodam irritatum, istius anomaliae gignendae ansam praebet.
 3. *Hyperostosis*, Exostosis est, forma non tam circumscripta sed diffusa magis, v. c. superficies undulata ossium Syphiliticorum, eiusdem naturae et originis; quod etiam de sequente valet;
 4. *Periostosis* enim Exostosis est quae os ambit.
- β. aut cum abnormi structura interna*, cuius variae dantur species, v. c.
1. *excrescentiae spongiosae*, quae cellulis constant modo maioribus modo minoribus, quae a legitima structura spongiosa, et forma et firmitate differunt, et interdum terra calcaria, nonnunquam gelatina abundant.
 2. *pumici similes*; hae excrescentiae in callo seu cartilagine, in aut sub periosteo, stimulo inflammatorio — plerumque scorico — irritato, nascuntur, ita, ut abundans terra calcaria, in forma fibrarum seu radiorum (strahlenförmig) cum acerbò dolore sese attollat, et in multa acumina et spicula exeat.
 3. *lamellarum* formam illae potissimum ekphy-mata ossea habent, quae in fungo medullari nascuntur. Lamellae osseae innumerae tam tenues sunt, ut vix chartam scriptoriam crassitudine aequent; et tam angustae, ut lineam latae nec ultra lineas aliquot longae sint, verum innumerae et ita iunctae ut rosarum quasi formam referant.
 4. *compactae*, similes sunt ossi compacto naturali, verum non modo compage interna dif-

ferunt, sed gradu etiam firmitatis et soliditatis.

5. *eburnae*, tanta esse solent duritie, soliditate et albore ut ebori prorsus similes appareant; differunt ab iis, classis praecedentis eo, quod vasis sanguiferis prorsus carent.

6. *informes*, structura qualicumque carent, et non nisi rudis et indigestae molis instar, et e terra calcarea, cum, aut sine gelatina constare solent; circa articulos, inter periosteum et os etc. reperiuntur.

7. *molles* varii generis, *carnosae*, *fibrosae* et *cartilaginosae* v. c. in epulide, *steotomasosae* in steotomate; *melanosae*, *medullares*, in fungo medullari ossium; *adiposae fungosae* etc.

b. *periosteo perduto s. destructo.*

Quaecumque periosteo integro nascuntur ossium tumores praeternaturales et excrescentiae, eae quoque ex osse ipso, post iacturam periostei nasci solent, et quidem

a. *structura s. compage legitima*

1. in superficie externa ossium a periosteo nudata.
2. ex ossibus compactis demta externa lamella, post iacturam periostei.
3. e fracturis et festucis ossium compactorum, post iacturam periostei membranaeque medullaris, v. c. fracta cum festucis tibia et magnaeius parte a periosteo nudata, ex ipsis extremis acumimibus fractorum ossium et festucarum pullulant verrucae carnae postea in callum et os mutandae.
4. ex abscissis extremitatibus ossium post amputationem.
5. in articulationibus praeternaturalibus seu artificialibus.

Tempus quod ad generationem novi ossis requiritur sex circa hebdomadam esse videtur.

β. *Structura anomala.*

Utrum omnes p. 89. β. enumeratae abnormium ekphymatum ossium species ex integra ossis superficie, a periosteo nudata, nasci possint, experientia nondum evictum est, nonnullas vidimus, v. c. carnosas, in epulide, pumici similes.

II. Ossium volumen diminutum.

a. *Periosteo integro.*

Volumen ossium, periosteo integro duplici modo minui solet, vel in parte quadam ossis vel in toto osse.

Partialis deminutio ossis, seu tabes partialis resorptione perficitur et variis a causis, periosteum et os irritantibus, nascitur: a *pressione* et pulsatione continua, v. c. ab aneurysmate; a *stimulo scorico* fixo, v. c. in alveolo dentis, quo processus alveolaris cum periosteo et gingiva resorbetur, densque ad radicem usque nudus apparet; a *cachexiis syphiliticis, scorbuticis? scrophulosis, scirrhis*; senectus ipsa causa resorptionis est ossium.

Deminutio s. tabes universalis ossis cuiusdam, integro periosteo locum habet tum, cum causa mechanica aut dinamica nutritioni legitima eius officit, v. c. a compressione ab aneurysmate sternum et costae etc., prorsus resorbentur; in chronica ischialgia capitulum osseum femoris haud raro ita tabescit ut formam triquetram ostendat; scilicet ob imminutam, per partium adiacentium irritationem, nutritionem. Eodem modo integra membra, humerus et brachium, pedes aliaque tabescunt.

b. *Periosteo destructo.*

Una tantum voluminis ossis deminutio post iacturam periostei, locum habere videtur, quae *necrosis* dicitur, et ni-

hil aliud est, nisi mors partialis ossis. Haud raro enim, — non semper, — demto periosteo, pars ossis nudata, sine ullo morbi signo, sine mutatione caloris aut laevitatis superficiei etc. emoritur, ita ut lamella magis minusque tenuis neque a periosteo vicino, neque ab ipsis ossis vasis amplius nutriatur, sed prorsus e nexu cum sano osse solvatur et eiciatur. Quod ita fieri solet, ut, cessante nutritione in toto partis emortuae ambitu, materia ossea resorbeatur, fossaque lineam circiter lata et dimidiam aut lineam profunda oriatur, quae totam partem mortuam circumdat. Iam pars subiacens ossis emortuae particulae circumcirca resorbetur, ut in forma lamellae tenuis prorsus solvatur et verrucis carnis et novo periosteo, quod, dum resorbetur os, presse sequitur, attollatur. Os quidem in integrum restituitur, volumen tamen tantum minor est, quantum lamella mortua et eiecta efficit.

Interdum pars mortua crassior est, et ad internam usque ossis cavum pertingit; tunc haud raro accidit, ut soluta a marginibus ossis sani, per longum tempus retineatur, usque aut natura resorptionis ope, aut ars caelo auxilium ferat, eamque eiciat.

Per totum illud tempus quo natura in solvenda illa emortua parte occupata est, clausum servat officinae aditum vallo illo carneo supra descripto, quod vel tum non evanescit, cum pars soluta marginibus ossis retinetur. Nec nisi tum disparet, cum ossis superficies integro periosteo rursus abducta est.

Eiusdem naturae est exulceratio ossis, quae *caries secundaria* a nonnullis appellari solet, nimirum pars ossis, irritata ichore rebusque noxiis ab arte praepostera illatis, emoritur et sensim sensimque, progrediente morte resorbetur. Symptomata externa eadem quae necroseos et cariei sunt.

III. Os morbose mutatum.

Morbosa ossis mutatio non nisi integro periosteo locum habere solet, quoniam a nutritione morbose mutata a periosteo proficiscente mutatio abnormis ossis nascitur; quae vel cum *augmento* voluminis ossis vel cum *deminutione* vel cum *integritate* eius conjuncta esse solet. Formae primariae mutationis morbosae hae sunt:

1. *Osteomalakia*, quae cernitur in abnormi ossium molitie, qua sine omni dolore, tumore aut alio signo morbose nativam perdunt rigiditatem et magis minusve perverse curvantur. Coxae v. c. introrsum curvantur; columna vertebralis ad latus flectitur, ossa pelvis comprimuntur. Ossis compages et structura in hoc morbo a cachexia scrophulosa oriundo non mutantur.

2. *Osteosarcosis*, quae est mutatio ossium in massam carnosam seu sarcomatosam sub doloribus acerbis, nequaquam vero aut parum mutato eorum volumine ingruens, qua fit, ut membra vi muscutorum resistere nequeant, et ab iis incurvantur. Plerumque partialis et scrophulosa indolis est. Flavum tunc ossa spongiosa calorem induunt oleosaque, unguinosa et adiposa esse videntur.

3. *Fragilitas ossium*. Contraria morbose affectio antecedenti haec est, quae a defectu gelatinae oriunda, efficit ut ossa nativam elasticam indolem perdant, nimisque rigida et fragilia evadant. Causa mali plerumque universalis scrophulosa esse videtur. Haud raro fragilitas ossium a nimia tenuitate parietum et nimis amplo cavo medullari corrupta medulla repleto, morbosaque medulla ossium longorum pendet.

4. *Osteosteotoma*, cuius natura cernitur in mutatione ossis in massam steatomatosam, cartilagineam et adiposam, cui particulae ossis inhaerent. Oritur ista morbose mutatio cum doloribus acerbis in periosteo et osse quod semper dum mu-

tatur, volumine valde augetur et formam nativam prorsus perdit. Scirrho et cancro partium mollium analoga, et a causis scorificis cum scrophulosis et scirrhosis cachexiis coniunctis, nasci videtur.

B. AFFECTIONES MORBOSAE AB INTERNO SYSTEMATE MEDULLARI OSSIUM ORIUNDAE.

Istae quoque affectiones morbosae, quae ab interno systemate medullari originem trahere videntur, in tres classes diuidi possunt; nimirum 1) voluminis *aucti*, 2) *deminuti* et *morbosae mutati*.

I. Volumen ossium auctum.

1. *Enostosis*, seu ea ossis affectio morbosa, qua parietes eius introrsum tantopere crassitudine augetur, ut canalis medullaris deminuatutur aut prorsus evanescat. A stimulo inflammatorio hanc mutationem originem ducere vel ex eo concludere licet, quod in sanatione ossis fracti, et inde orta irritatione inflammatoria, canalis medullaris in loco fracto materia ossea prorsus repletur et revera enostosis oritur. Aliis praeterea causis, v. c. syphiliticis idem morbus, e nimio pondere ossium, dolore vero osteocopo in syphilitide, cognoscendus, oriri videtur.

2. *Paedarthrocace* — sit venia verbo cum omnibus in *kace* proscribendo — et *spina ventosa* gradu modo diversae, ex affectione inflammatoria systematis medullaris spongiosorum ossium oriundae huc quoque referendae sunt. Nasuntur a causis scrophulosis sine dolore aliisque signis localibus morboris, excepto tumore, nisi forsitan artis perverso auxilio dolores etc. creentur. Spina ventosa per se periosteum prorsus non afficit, idque integrum manet, donec, prodeuntibus morboris contentis, destruitur, irritaturque et ad

generandas materias abnormes impellitur v. c. excrecentias osseas etc. Est symptoma secundi stadii p. 85. descripti.

II. Volumen ossium minutum.

1. *Rhachitidis* species, quae cernitur in deminutione crassitie parietum ossium longorum, qua ad tertiam partem et ultro deminuuntur, canalis medullaris multum augetur et spatiosior evadit, ossaque inde firmitatem et soliditatem perdunt, quo fit, ut facillime frangant, huc pertinere videtur. Causa semper cachexia scrophulosa est.

2. *Necrosis universalis* ossis non minus huc pertinet; est enim revera voluminis ossis laesi imminutio, et a turbata functione systematis medullaris oriri videtur. Quippe quando causa mechanica, v. c. commotione aut dynamica systematis medullaris functio laeditur, os universum ab una apophysi ad alteram emoritur, — nunquam apophyses; — simulque et eo ipso temporis momento resorberi et periostei inflammati ope novo osse circumdari coepit; quod orificiis, in parte a corpore aversa, instruitur, — cloacae a schola dictis — e quibus successu temporis os mortuum, sequester, — nisi forsitan prorsus resorbeatur — naturae processu supra descripto (cfr. pag. 9.) aut artis auxilio eiicitur. Orificia in cute vallo illo carnosio supra descripto (p. 10.) circumdantur, et usque ad perfectam eiectionem ossis et sanationem ossis durant.

Caeterum os novum eodem modo gignitur quo partes fractae, nimirum e verrucis carnis in callum et os successu temporis mutatis.

Canalis medullaris, ab initio ossea materia repletus, successu temporis a natura resorptionis ope instauratur medullaque refertur legitima.

III. Morbosa ossis mutatio.

Huc pertinet primum ea morbosa affectio systematis medullaris spongiosorum ossium, quam supra (p. 8 lqu.), descripsimus et quae *Caries* vulgo vocatur.

Praeter illum morbum, varia ekphymata, quae in interiore ossis compagine spongiosa radicanur, huc referenda sunt.

Quae vero hic iterum enumerare consilii nequaquam esse videtur, cum eiusdem indolis diversae sint, qualis illae, quae e periosteo oriuntur, de quibus (p. 16 lqu.) disserui. Licet enim experientia teste, saepius a periosteo oriantur quam a systemate medullari, haud raro tamen ex illo quoque nascuntur.

Causae vero tunc aut eadem aut similes, v. c. cachexiae scrophulosae, scirrhusae, et scoricae esse solent.

PATHOLOGIAE
SYSTEMATIS CELLULOSI
BREVIS ADUMBRATIO.

I.

Natura et functiones systematis cellulosi.

Textus cellulosus colore albicante est, et e vera tela, (*Gewebe*) e lamellis et filis contexta, neutiquam e muco absque certa forma constat.

Textus cellulosus modo densior, modo laxior in omnibus corporis partibus, uberior in his, parcius in illis reperitur; et cellulae inter se communicantes, cavum unum continuum in toto corpore efficiunt.

Systema cellulosum sensu caret, infimaeque dignitatis seu perfectionis organicae gradu collocatum, omnium facillime et perfectissime regeneratur, quando perit.

Tela cellulosa ad constituendam organorum formam, tuendum eorum situm, mobilitatem, coniunctionem et separationem, ad recipiendos humores, ad sananda vulnera et formandas cicatrices inseruit.

II.

De varietate et divisione inflammationis systematis cellulosi.

In systemate celluloso, licet sensu careat, inflammationis variae occurrunt species, quarum primariae hae sunt:

1. Ratione *gradus*, *inflammatio vera*, et *subinflammatio s. irritatio inflammatoria* distinguuntur. Exemplum prioris est abscessus suppurans; huius: pars quaedam ob corporis peregrini irritationem dolens, neutiquam vero inflammata.

2. Ratione *causae vel quantitativa vel qualitativa* est. Abscessus a laesione *quantitativus*, a contagio syphilitico, *qualitativus* est.

3. Ratione *nexus cum causa, primariam s. idiopathicam*; et *secundariam* quae rursus vel *sympathica*, vel *metastatica* est, distinguimus. *Idiopathicae* inflammationis exemplum est vulnus; *secundariae sympathicae*: inflammatio telae cellulosa per inflammationem ossis et periostei in paedarthroace; *metastaticae* vero abscessus corneae a suppressa blennorrhagia oculi ortus.

4. Ratione *nexus causarum inter se*, aut *pura* aut *composita* est. Illius inflammationis exemplum est panaritium cellulosum a laesione; huius inflammatio traumatico-scrophulosa etc.

5. Ratione *systematum simul affectorum vel simplex vel composita* est. Ulcus quod cutem, telam cellulosa et periosteum simul corripit, compositum est; abscessus in tela cellulosa, simplex.

6. Ratione *decursus vel acuta vel chronica* est, illa legitimo tempore decurrit; haec ulterius durat.

7. Ratione *indolis et effectus* inflammatio est vel *destruens* vel *instaurans*; illa in ulcere phagedaenico, partes erodente, haec in vulnere aut abscessu ad sanationem progrediente locum habet.

8. Ratione *organorum*, tot sunt species, quot organa diversa, quorum quaeque pro natura et indole organi affecti aliquid peculiare habere solet. v. c. abscessus auris ab ulcere pedum differt. etc.

III.

De causis inflammationis systematis cellulosi.

Inter causas remotas seu occasionales, quibus inflammatio textus cellulosi efficitur,

1. *mechanicae* omnium frequentissime occurrunt, ad quas laesiones, vulnerationes, contusiones, et huius generis alia multa pertinent. Haud raro quoque.

2. *Chemicæ* causae inflammationem cellulosam cient, v. c. flamma, aqua fervida, caustica, acida concentrata, præter eas

3. *dynamica* etiam momenta inflammationis textus cellulosi causae esse possunt; cum interna, v. c. cachexiae, humores acres, pus corruptum, metastases etc.; tum externa, et quantitativa v. c. frigus, refrigeratio, et qualitativa: contagia, miasmata et venena.

IV.

De acuta systematis cellulosi inflammatione.

Inflammatio textus cellulosi peculiaris est indolis et in omnibus corporis partibus, ubi tela cellulosa reperitur, occurrit. Saepius in iis, quae tela illa abundant, rarius in illis, quibus parcius est, v. c. in encephalo, nervis.

Proventus seu producta eius — i. e. materiae novae abnormes, quas legitime decurrens generat — sunt: *lymphæ, pus, eschara, cicatrix.*

Nulla alia, præter hanc inflammationem, producta illa gignit. Vel, quod idem est, pus etc. non nisi per inflammationem textus cellulosi generatur.

Ubi pus, ibi textus cellulosi inflammatio, et vice versa. Quodsi, exempli gratia, per inflammationem membranæ mucosæ pus secernitur, hoc propterea fit, quod una cum tunica pituitaria, tela cellulosa simul inflammationem corri-

pitur, v. c. in Blepharoblennorrhagia neonatorum.

Haud raro haec inflammatio ad aliorum systematum inflammationes secundaria affectione accedit, v. c. ad fibrosam, pituitariam etc.

Tempus decursus per tria stadia pro sede eius differt; longius quippe, cum sub integumentis communibus est; brevius, cum in superficie cutis a periosteo nudatae aut membranae pituitariae haeret, et sine eschara sanatur; omnium longissimum, quando vulnus suppuratione et cicatrice sanatur. A tribus inde ad septem et novem, usque ad ter septem et ter novem dies durare solet.

Haec inflammatio, vulgo phlegmone dicta, nequaquam sola vera, aut inflammatio per excellentiam appellanda est; caeterorum quippe systematum inflammationes aequae verae et legitimae sunt.

Sequelas varias habet: indurationes, exulcerationes, consumptiones, excrescentias, deformitates, gangraenam et sphacelum etc. de quibus infra.

Primum stadium.

Tempus quo primum stadium decurrit, pro sede inflammationis differt, in superficie membranarum aliquot horas, sub integumentis communibus aliquot — tres ad septem — dies durare solet.

Symptomata huius inflammationis localia et universalia, ratione gradus vehementiae pro re nata valde diversa, haec fere sunt:

Symptomata localia:

Calor naturalis auctus primum symptoma est, quod in parte, quae inflammatur, animadvertitur, ab initio vix distinguendus, sensim vero crescens, fixus, circumscriptus, paulo profundior, cum siccitate cutis coniunctus.

Dolor fere simul cum calore oritur et ab initio pruriens, premens, fixus, profundiora petens, circumscriptus, po-



stea distendens et sub finem primi stadii pulsans est. Dolor, pro systematis cellulosi natura, haudquaquam vehemens, non nisi tum acerbior fit, cum aut forma partis affectae aut nervorum vicinorum copia etc. maioris gradus causae sunt, v. c. in panaritio. Paulo post doloris primordia

Rubor sese ostendere coepit, ab initio vix colore cutis nativo vividior, mox vero intentior magisque in dies saturatus et tandem rubidus seu ad fuscum colorem accedens, (braunroth) circumscriptus, interdum radiatus. Cum rubore aut paulo post

Tumor oriri sensimque augeri solet, elasticus, firmus, duriusculus, in medio elatior, in margine magis circumscriptus, quam sensim descrescens, diversus caeterum gradu pro loco affecto et vehementia inflammationis, uti et reliqua symptomata.

Coenaesthesia localis mutata, sensibilitasque aucta, vario modo, pro partis affectae natura et functione sese manifestans; alio v. c. in digito, alio in aure, alio in testiculo etc.

Symptomata universalia non nisi tum sese ostendunt, cum inflammatio ad maiorem vehementiae gradum evehitur; suntque febrilia, modo synochica modo typhosa, plerumque vero nervosae indolis esse solent, quippe cum plerumque e dolore acerbissimo nascantur. Coenaesthesin universalem mutatam, sensibilitatem alacriorem, appetitum depressum, sitim auctam, somnum inquietum corporisque robur fractum esse etc. quis est qui ignoret?

Febris illa, universalis nimirum e locali oriunda irritatio inflammatoria, vulgo febris traumatica seu vulneraria, potissimum tum appellatur, cum e laesione nata est inflammatio.

Haud raro functiones partium affectarum, earumque quae contiguae sunt aut consensu quodam cum affectis coniunctae, vario modo turbantur; v. c. muscoli contrahi nequeunt; susurrus, tintinnitus aut gravitas aurium etc.

Quodsi inflammatio cellulosa in primo stadio naturae aut artis opere extinguatur, materiaeque congestae resorbentur, *resolvi*, dicitur.

Stadium secundum.

Eiusdem fere temporis cuius prioris stadii, secundi deplerumque cursus, iisdemque conditionibus, modo longior modo brevior esse solet. Durat a momento temporis quo pus secerni coepit ad momentum usque quo ad partes externas effluere incipit. Symptomata secundi stadii plerumque mitiora adhuc esse solent, quam symptomata primi.

Localia signa haec fere sunt :

Calor qui plerumque sub initium huius stadii parum augebatur, progrediente eo decrescit et sub finem prorsus fere disparet. Hoc ex parte etiam de

Dolore valet. Ab initio pulsans et distendens sensim minuitur et sub finem mitior, obtusus et ponderis instar esse solet. Caeterum ea quae in primo stadio de loco et ambitu eius dicta sunt, de hoc quoque valent.

Rubor idem fere permanet, in medio tamen haud raro flavescere ea cutis pars incipit, qua pus collecta exitum sibi aperire minitatur. Caeterum colorem obscuriorem et squalidum cutis circum punctum suppurans induit.

Tumor tandem in medio fluctuans, et circumscriptus circumcirca oedematis paululum ostendit, quod haud raro in partibus vicinis animadvertitur.

Illud oedema signum haud incertum praesentiae puris etiam tum esse potest, cum caetera certiora signa, pulsationis et fluctuationis puta, desunt, v. c. in abscessu lumbali.

In vulneribus apertis suppurantibus tumor marginum in tertio stadio disparet.

Primarium secundi stadii *signum* est secretio fluidi abnormis quod *pus* a schola appellatur, de quo paulo inferius sermo erit.

Symptomata universalia plerumque levia esse solent, febris primi stadii inflammatoria characterem nervosum, typhosum aut hecticum nacta, sensu horripilationis, torporis, gravedinis, cum pulsu frequenti, parvo, duriusculo sese ostendit; urinaque rubicunda primi stadii, nunc paulo minus rubescere coepit. Varia caeterum pro parte et organo affecto symptomata esse solent.

De Pus.

Pus, proventus legitimus inflammationis systematis cellulosi, nec ullius systematis nisi huius, non nisi tum discernitur, cum inflammatio textus cellulosi in secundum stadium transiit; quodsi enim in primo subsistit et chronica fit, aut resolvitur, *pus* non generatur.

Interdum nucleus purulentus compactus gignitur, qui a nucleo illo ex emortua tela cellulosa constans in nonnullis abscessibus v. c. furunculo, carbunculo obviis, probe distinguendus est.

Gignitur autem *pus* actione systematis vasorum capillarum morbose mutata ad tollendum stimulum inflammatorium, inflammationis causam.

Pus igitur neque excrementum corruptum sanguinis est, neque iam coctum et praeparatum in sanguine invenitur, sed materia est secundum leges inflammati systematis cellulosi legitime parata et non nisi semini dignitate cedens.

Quare profusa puris secretionē vires corporis brevi tempore exhauriuntur, dum digestionis energia frangitur et diarrhoea funesta efficitur. Aetas infantilis facilius sine damno ferre solet puris diuturnum profluvium.

Pus legitimum, s. bonum, humor est spissus modo magis modo minus, guttatim fluens, ex albo flavescens, aut sublimpidus, mitis, antisepticus, odore peculiari pollens; et

haud raro materiae imponderabilis v. c. contagii vehiculum. Hoc pus resorbetur sine corporis damno a vasis lymphaticis et a venis, in quibus tum oculis distinguitur.

Pus ex abscessu modo aperto profluens ab illo quod tertio stadio, durante sanatione, profluit non nisi eo differt, quod in priore particulae soluti parenchymatis, cruorisque contineantur, in hoc non.

Pus corruptum, ichor, sanies, humor est rebus alienis, particulis emortuis mixtus, aut putrescens; saepe pessimum odorem spargens, partes erodens et specilli argenti colorem mutans.

Pus istud corruptum et putrescens non nisi cum summo corporis et valetudinis damno resorbetur, vires organismi cito frangit et interdum, potissimum in ventriculum delapsum, aliquot diebus lethale fit.

Pus ad cicatricem aut ad sanandum vulnus vel partem laesam, nequaquam necessarium est, verumtamen ad solvendum stimulum inflammatorium, v. c. spinam e nexu cum corpore et ad defendendam partem laesam a rerum externarum iniuria, auxilio escharae temporariae.

Tertium stadium.

Eiusdem, caeteris paribus, fere temporis est, cuius caetera stadia a momento illo temporis quo pus prorumpit ad sanationem usque: vel ad illum usque diem, quo eschara cicatricis sponte decidit; modo longioris modo brevioris temporis.

Symptomata localia haec sunt: In medio plerumque tumore, si sub integumentis latet abscessus, resorptionis ope aperitur exitus pari, quod profluit cum cruore et particulis telae cellulosa mixtum, verum non omnis copia.

Postquam puris copia quaedam effluxit contrahitur cutis, parietesque abscessus circumcirca appropinquantur; moxque conorescere incipiunt; quo facto cavum abscessus magis sen-

sim contrahitur, pus aut eiicitur aut resorbetur, totusque abscessus post aliquot dies ita cicatrice clauditur ut eschara tenui fusca tegatur; quae post aliquot, septem circiter dies, aut serius decedit. Membrana peculiaris ad hunc finem in abscessu nequaquam formatur.

In apertis ulceribus aut vulneribus suppurantibus, pus bonum — si naturae soli committitur — dum pars eius liquidus exhalatur, obrigescit et escharam temporariam format, qua natura superficiem suppurantem obtegit et ab atmosphaerae aliarumque rerum noxiarum tactu defendit, et sub qua sanatio in margine vulneris inchoatur, dum cutis circumcirca attrahitur, novaque epidermis gignitur; Paulo post vero — post viginti quatuor aut bis, terque viginti quatuor horas, — collectum sub eschara pus, tensionem pruriturumque efficit, sauciatumque cogit ut vel invitus fricando escharam abradat. Quo facto puris pars effluit, pars vero novam eamque minoris amplitudinis escharam format, sub qua processus naturae in sanando vulnere occupatae, modo iamiam descripto, continuatur, iterumque fricando abrasa eschara de novo e pure concrevit tandemque sine pure arida firmiorque manet et cum cicatrice per septem aut novem dies, et interdum diutius cohaeret, qua perfecta postremo decedit.

Cicatrix e tela cellulosa constat, neque legitimis cutis functionibus praeesse valet; interdum inaequalis manet et firmitate caret.

V.

Inflammatiō chronica systematis cellulosi.

Inflammatiō cellulosa, quae ultra legitimum tempus protrahitur, in quocunque demum stadio fuerit, chronica dicitur.

Symptomata chronicæ inflammationis eius semper stadii esse solent, in quo chronica facta est. Caeterum mitioris indolis sunt, verum non semper ab initio.

Exempla chronicae inflammationis telae cellulosae sunt; *primi stadii*: panaritium secundae classis, quod in suppurationem non abit, sed ultra nonum diem dolore, rubore et tumore solummodo insignitur; *secundi stadii*: Hypopion quod per plures hebdomades durat; *tertiū stadii*: Abscessus apertus seu vulnus per plures menses pus fundens.

Irritatio inflammatoria systematis cellulosi ab initio primi stadii symptomatibus non differt, diuturno vero tempore; quo continuatur.

VI.

De sequelis inflammationis cellulosae.

Primariae inflammationis cellulosae sequelae hae fere sunt:

1. *Induratio*, cuius natura cernitur in suppressa in primo aut secundo stadio inflammatione sine resorptione materiae, eius stimulo accumulatae.

Exempli causa: Chalazium, induratio testiculi, glandulae, induratio cutis post inflammationem etc. Causae aut in stimuli exigua vi, aut in debilitate resorptionis aut in partium organicarum agendi asthenia.

2. *Consumptio partialis et universalis*; *Illa* in partibus affectis locum habet, v. c. consumptio bulbi oculi, nasi, labiorum aliarumque partium; *haec* totum organismum exhaurit, lethoque non raro tradit, v. c. phthisis pulmonum suppurativa; mors e iactura virium ob nimiam suppurationem vulneris, quae rarissime in infantibus impuberibus, saepissime in senibus occurrit.

3. *Excrescentiae fungosae et cicatrices luxuriantes*. *Illae* e fundo ulceris oriri et legitimam cicatricem impedire solent, quippe quae epidermide firma nunquam obteguntur, semper subrubent, saepe pruriunt et facillime sauciantur. v. c. post fonticulos male sanatos, in ulceribus scrophulosis etc. *Hae*, cicatricum incrementa et luxuries, post le-

gitimam sanationem tunc potissimum locum habent, cum ulcera ex ambustione orta, nec statim ab initio epithematis frigidis curata, cicatrice teguntur non prorsus aequali, partesque affectae brevi tempore post sanationem nimis exercentur, v. c. brachia operariorum, fabrorum etc. ad opus faciendum magna vi intenduntur. Augeri tunc et crescere mirum in modum solent cicatrices ab initio parvulae et fere aequales. Post alias quoque causas cicatrices crescere solent; v. c. interdum in staphylomate etc.

4. *Deformatio partium et nativae earum conformationis.* Duplici ratione partes post inflammationem cellulosa deformari solent; vel aucto vel diminuto volumine; illud et induratione et excrescentiis, cicatricibus etc. hoc iactura partium per suppurationem aut inde ortam contractionem, distractionem, mutatamque formam, vario modo, fieri potest, v. c. iactura nasi, labiorum, palpebrarum, aut cutis palpebrarum, qua ectropia foeda oriuntur etc. Interdum utraque simul deformitatem efficiunt, v. c. in male sanatis vulneribus obliquis, cum iactura quadam coniunctis etc.

5. *Gangraena et Sphacelus.* De quibus sigillatim dicendum est.

VII.

De Gangraena et Sphacelo.

Gangraena et sphacelus, — mors partis cuiusdam corporis viventis; — non nisi gradu differunt, nimirum eo, quod in priore affluxus quidam humorum adhuc locum habet, in posteriore prorsus non.

Caeterum ab asphyxia locali v. c. gelu effecta, a putredine et a morte universali differunt.

Fontes, utriusque sunt aut debilitas *directa*, paralysis, aut *indirecta* seu nimia inflammatio.

Causae vero omnia momenta mechanica, chemica et dynamica externa et interna quae hos status aut parant aut augent.

Symptomata prodromi ergo duplicis generis sunt: aut inflammationis vehementissimae potissimum dolor, tumor; aut summae debilitatis, fere semper cum dolore coniuncta rarissime absque ullo sensu qualicumque.

Symptomata *gangraenae localia* sunt: epidermis sponte soluta, lymphæ turbida sub ea in forma vesicularum et bullarum collecta, color cutis lividus, plumbaceus, squallide rubens, ex atro purpureus, locus affectus margine vividius rubente circumscriptus, sensibilitas nativa sublata, torpor, frigus, collapsus partis affectae, oedema partium vicinarum, ichor et sanies, foetor peculiaris, margines ulceris exesi, textus cellulosus in laciniis laceratis propendens, etc.

Universalia symptomata sunt febris vel inflammatoriae vel typhosae pro re nata.

Sphacelus vel primarius est, vel secundarius, i. e. e gangraena oriundus.

Symptomata sphaceli primarii localia haec sunt. Dolor hactenus gravissimus repentine cessans in parte affecta, interdum in margine sano, mortuam partem circumdans, ad mortem aut sanationem usque continuans. — faustum caeterum signum, — torpor, gravedo, frigus, pallor, lividus color, instar funeris qui sensim in nigrum mutatur, humorum profluvium nullum e vulneribus de industria factis, circulatio prorsus sublata, tabes, corrugatio, exsiccatio aut putrefactio; sphacelus per ambustionem effectus statim escharam siccam ostendit.

Sphaceli secundarii seu eius, qui e gangraena oritur, symptomata haec sunt: humorum affluxus et suppuratio prorsus cessant, ulcus plane siccum, durum, nigrum instar carbonis evadit; progressus sistitur, dolor in parte affecta nullus, verum in margine contiguo, qui rubere paululum solet.

Symptomata universalia utriusque sunt febris inflammatoriae aut typhosae magis vel minus gravia et periculosa pro dignitate partis affectae et organismi affecti conditione.

Sphacelus internus non, nisi e summo dolore repente prorsus cessante, pulsu exili frequente, virumque cita exhaustionem cognoscitur.

Gangraena s. sphacelus a causa locali v. c. mechanica, compressione, a gelu, ex ambustione, a causticis et aliis, non progreditur, nec ad partes vicinas a causa non laesas, serpit.

Gangraenae et sphaceli variae species sunt, quarum praecipue haec fere sunt:

1. Gangraena s. sphacelus a *causis mechanicis*. internis et externis, v. c. contusione, laceratione, extensione, interrupto sanguinis et principii nervorum circulo etc.

2. Gangraena a *causis chemicis* et physicis v. c. ab ambustione, causticis, acidis, phosphore, calce usta, gelu.

3. Gangraena a *causis dynamicis* internis et externis et utrisque simul, v. c. a contagiis, miasmatis et venenis, ab inflammatione nimia, paralysi, a decubitu, erysipelate, moerore, secale cornuto, gangraena senilis, nosocomialis, a carbunculo, ab anthrace, peste, a metastasibus etc.

PATHOLOGIAE
SYSTEMATIS NERVORUM
BREVIS ADUMBRATIO.

I.

De natura et functione systematis nervorum.

Systema nervosum, in genere constans e materia peculiari molli, tenera, albida et albea organica, membranis tenuibus circumdata, intine inter se cohaeret multisque vasis sanguiferis pollet; fons est vitae, sensus et motus animalis, omnisque sympathiae, irritationis et actionis conditio et causa. Caeterum facultate sese regenerandi imperfecta pollet.

Quadruplicis tenoris est systema nervosum, simileque arbori, qui radicibus, trunco et ramis gaudet, *cerebro, medulla spinali* et *gangliis abdominalibus nervisque* distinguitur.

Cerebrum s. encephalon, in cranio reconditum, tribus membranis, duabus serosis et una fibrosa circumdatum et prioribus in cavis suis circumvestitum, vasis, glandulisque lymphaticis nec non sensu maximam partem caret. Lymphae parva copia in ventriculis, cum canali medullae spinalis coniunctis reperitur. Superior pars cerebri organus intellectus, inferior anterior sensuum, posterior inferior vis vitalis et sexus organis destinata esse videtur.

Medulla spinalis constat e fasciculis et filamentis nervorum, serosis membranis circumvestitis, canalem parum lymphae continentem et cum ventriculis cerebri communicantem constituentibus, quorum dextra et sinistra pars, antequam cum cerebro coniunguntur, decussantur. Motui potissimum praeesse et viscerum functiones adiuvare videtur.

Nervi constant e filis albidis organicis, invicem frequenter coniunctis in fasciculos unitis et vagina, quae neurolemma dicitur, circumvestitis, qua in utraque extremitate orbantur. Conductores sunt fluidi nervosi quod a cerebro deducunt nec non organa facultatis sentiendi.

Ganglia abdominalia centrum nervorum abdominalium, sedes sensuum (*der Gefühle*) animique affectuum sunt, et functionibus viscerum abdominalium una cum nervis e medulla spinali oriundis praesunt.

II.

De divisione et differentia inflammationis systematis nervosi.

Variae inflammationis systematis nervosi species distinguuntur, quarum primariae hae sunt:

1. Ratione *gradus* affectiones inflammatoriae systematis nervosi sunt aut *inflammationes verae*, aut *irritationes inflammatoriae*: illae per tria stadia decurrunt, haec in atrio inflammationis subsistunt, nec primum stadium absolvunt.

Exempla *prioris* sunt *febres nervosae*, typhus, *posterioris*, motus febriles in variis morborum affectionibus, v. c. in scoria (rheumatismo) acuta, in ambustione, in nonnullis exanthematibus v. c. morbillis, erysipelate; in animi perturbationibus v. c. ira, metu, desiderio, nostalgia etc.

2. Ratione *ambitus* vel *universalis*, totius systematis nervosi, vel *partialis* huius vel illius partis aut nervi.

Exempla prioris sunt: febris nervosa, typhus; *posterioris* myelitis nervosa; ischias nervosa, etc.

Universales systematis nervosi inflammationes *febres* dicuntur; irritationes vero inflammatoriae *motus febriles*.

Inflammatiō cerebri acuta fere semper cum inflammatione totius systematis nervosi coniuncta esse solet.

3. Ratione *causae* aut *quantitativae* aut *qualitativae* esse possunt. *Istius* v. c. exempla sunt febris nervosa, simplex; *huius* typhus variolosus, pestilentialis etc.

4. Ratione *nexus cum causa*, vel *primaria* s. idiopathica est, vel *secundaria* quae aut *sympathica* aut *metastatica* esse potest.

Exempla *idiopathicae* inflammationis systematis nervorum est febris nervosa a contagio orta, *secundariae sympathicae* febris nervosa ad herniam compressam, ad vulnus accedens; *metastaticae* febris nervosa e suppresso exanthemata, a suppresso erysipelate etc. oriunda.

5. Ratione *coniunctionis causarum* aut *pura* aut *complicata* esse potest; *istius* exemplum est febris nervosa simplex — a refrigerio orta; *huius* febris eadem a pluribus causis simul profecta v. c. a terrore et suppressis lochiis, a refrigerio et vulnere etc.

6. Ratione *organorum simul affectorum* aut *simplex* aut *composita* est. Simplex v. c. est typhus a contagio ortus, febris nervosa sine omni affectione locali; *composita* est febris nervosa cum pneumonia, cum exanthemate; synocha summi gradus, seu inflammatiō systematis nervosi cum inflammatione systematis sanguiferi coniuncta etc.

7. Ratione *decursus* vel *acuta* vel *chronica*; illa rursus *regularis* aut *irregularis* esse potest. Exemplum *acutae* est typhus ter septem aut novem diebus decurrens, *chronicae* exemplum est febris hectica. *Irregularis* febris nervoso-putrida etc.

8. Ratione *organorum s. partium systematis nervosi* proxime affectorum praeter universalem tot sunt species quot partes nervosi systematis praecipuae; nimirum

1. Inflammatio Cerebri s. Encephalitis.
2. — Medullae spinalis, Myelitis.
3. — Gangliorum abdominalium et nervi sympathici.
4. — nervorum variarum partium corporis humani v. c. oculi, faciei, in dolore Fothergilli, nervi ischiadici, etc.

III.

De causis inflammationis systematis nervosi.

Causa inflammationis systematis nervosi proxima in ipsa inflammationis natura cernitur; remotae causae *disponentes* et *occasionales* triplicis generis sint.

1. Causae *mechanicae* internae et externae, v. c. laesiones, vulnera, commotiones v. c. cerebri, contusiones, compressiones v. c. herniarum, extensiones violentae, lacerationes v. c. globulis tormentorum bellicorum.

2. Causae *chemicae* et *physicae*, v. c. ambustiones flamma, causticis, calce viva etc. nimius solis aestus, gelu, venena e mineris, etc.

3. Causae *dynamicae* — quantitativae et qualitativae *externae* et *internae* eaeque vel *corporeae* vel *psychicae*, v. c. frigera, cibi et potus nimii aut noxii, suppressae se et excretiones naturales et morbosae, v. c. sudoris puerperarum; exanthemata, metastases, contagia, miasmata et venena, animi motus, affectus et appetitus etc.; dentitio, pubertatis mutationes, etc.

IV.

De acuta universi systematis nervosi inflammatione.

Inflammatiō universi systematis nervorum a febre non differt. Intelligitur hoc e decursu, symptomatibus et preventibus eius, qui prorsus eiusdem tenoris et indolis sunt.

Differt haec inflammatiō ab encephalitiē eo, quod in hac non nisi cerebrum, in illa vero totius nervorum systema inflammatione affectum est, convenit vero in eo, quod in utraque inflammatione cerebrum magis minusve afficitur.

In partiali systematis nervorum inflammatione, febris, seu universalis affectio non necessario et semper adest, verum haud raro ad eam accedit, v. c. ad inflammationem medullae spinalis, nervi ischiadici etc.

Inflammatiō systematis nervosi universalis omnium maximas turbas in toto homine (organismo) ciet, et haud raro secundaria affectione aliorum organorum inflammationis causa fit, quae *affectiones locales secundariae* nuncupari solent, v. c. ophthalmitis, enteritis, hepatitis, pneumonia etc. ad febrem nervosam s. typhum accedens.

Quaelibet inflammatiō cuiuscunque organi vehementior, secundaria affectione systema nervorum simul corripere eiusque inflammationis causa fieri potest, v. c. vulnus, pararitium, hernia compressa, cystitis, ophthalmitis, pneumonia, exanthema etc.

Quilibet stimulus inflammatorius duplici ratione systema nervosum afficit:

turbando et deprimendo = paralytice

irritando et excitando = inflammatorie

Varia ratione haec duo momenta inter se existere possunt, ita ut modo hoc modo illud praevaleat.

Quodsi stimulus inflammatorius multo magis vires deprimit, quam incitat, inflammatiō legitima oriri nequit; tunc non raro subito exitus funestus sequitur, v. c. in contagiis

variolorum, scarlatinae, typhi, pestis, etc. in miasmatis
v. c. in febre flava, etc.

Tempus decursus legitimi inflammationis universalis systematis nervosi per tria stadia fere aequalia, ter septem, aut ter novem dierum esse solet.

Stadium primum.

Stadium *primum* seu *phlogisticum* per septem ad novem circa dies decurrit, ab illo inde momento incipiens, quo irritationi stimuli actio respondens in corpore excitatur, ad illud usque momentum continuatur, quo materia nova gigni coepit.

Symptomata vel *universalialia* vel *localia* sunt, haecque posteriora rursus aut ab universali affectione aut a locali quadam accedente v. c. pneumonia oriuntur.

Primum plerumque huius inflammationis signum *languor*, viriumque corporis universalis depressio, artuumque gravedo esse solet, quae haud raro repente ingruit, potissimum post stimulos contagiorum et miasmatum, vimque eorum deprimentem arguit; gradus istius debilitatis pro stimuli natura, corporisque affecti constitutione varii esse prosunt.

Huic statim sese associatur *capitis gravedo*, *dolorque* magis minusve vehemens et coenaesthesia mutata.

Primarium quippe et *idiopathicum* symptoma, inflammationis et affectionis cuiuscunque inflammatoriae systematis nervosi est sensus ille peculiaris, verbis non describendus, quem forsàn *horrorem febrilem*, (*Fieberschauer*, *Fiebergefühl*) appellare convenit, licet vere horror non sit, nisi lenissimo gradu. Alienus prorsus a sano corpore sensus, nec ulli morbo nisi feбри seu inflammationi nervosae competens. Aestus modo, modo frigoris, modo utriusque sensus cito alternantis instar in dorso potissimum et columna vertebrali adscendere et caput occupare, aut descendere et in

extremos artus diffundi videtur. Coenaesthesia prorsus et ita mutata est ut alienus homo esse tibi videaris. Neque dolorem neque gratum istum sensum dixeris, neque unquam notionem iustam istius sensus tibi finxeris nisi ipse senseris, id est nervorum inflammatione seu febre laboraveris. Et enim quoad bene valet quis, sensu illo non afficitur. Verum ubi febris ibi sensus iste, et ubi sensus ille, ibi febris: — Neque continuus, sine ullo interruptione manet, sed remittit, et intermittit brevibus intervallis ita, ut interdum vix sentiatur, verum nunquam tamen, quoad febris durat, prorsus cessare videatur. Sensus iste febrilis varios gradus admittit, leniorque est in irritatione inflammatoria, fortior in ipsa inflammatione systematis nervosi.

Caetera signa haec ferè sunt: *Dolor* urens, lancinans, premens; interdum non nimius, nisi forsitan neurolemma simul afficiatur aut locus circumscriptus impediatur, quo minus tumescens organon sese expandat, v. c. cerebrum inflammatum in cranio; vel localis mechanicus stimulus aut chemicus adsit.

Rubor haud intensus potissimum in facie conspicitur, ubi turgor vitalis auctus, genae rubentes, oculi splendentes apparent.

Calor cutis auctus in capite praesertim sentitur. *Tumor* non nisi instar turgoris vitalis aucti animadverti solet.

Caeterum varia praeterea symptomata in maiore aut minori gradu observantur: v. c. appetitus fractus, sitis aucta, pulsus frequentior, fortior, durior, suppressus et celerior, cutis sicca aut humida, urina rubra, aut turbida, somnus inquietus, vagi artuum dolores, sensuum perturbationes, mentis facultates oppressae, deliria etc.

Symptomata *localia* pro diversitate partium praecipue affectarum diversa sunt.

Haec et alia interdum symptomata modo continuantur sine interruptione, modo remittunt et ad partem intermittunt.

Omnia signa phlogosin universalem minoris vehementiae, cum virium depressione coniunctam ostendunt.

Stadium secundum.

In periodo secunda, seu *maturitatis* tota rerum facies, plerumque repente, mutari, phlogosis disparere, paralytisque signa sese manifestare solent.

Initium huius stadii cum illa mutatione ingruit, finisque, si legitime decurrit, haud raro non minus subito apparet tum cum sudor naturalis, rediensque coenaesthesia consueta crisis initium ostendunt.

Spatium huius stadii eodem temporis ambitu, quo primum definitur, septem ad novem diebus.

Symptomata universalia huius stadii haec fere sunt.

Virium oppressio crescit ita ut aegrotus haud raro pedibus sese tenere nequeat, sed lecto affixus haereat, nec in illo quidem nisi collapsus.

Motus involuntarii membrorum e contrario saepe magna vehementia subsultibus tendinum, carphologia et delirii furibundis sese ostendunt. *Typhomania* nimirum seu deliria cum summa virium oppressione et lethargo per totum hoc stadium aegrotum plerumque conscientia sui rationisque arbitrii impotentem reddunt. — Lenior inflammationis gradus gradus huius symptomatibus, typhomania nimirum non stipatur.

Praeterea ea, quae vires et functiones systematis nervosi oppressas et impeditas ostendunt, nimirum languorem, torporem, capitis gravedinem et dolorem, sensuum, digestionis, se- et excretionum turbationem, sensibilitatem obtusam et depressam, somnum inquietum aut nullum, pulsum exilem, frequentem, inanem, et huius generis alia; varia praeterea.

Symptomata localia accedunt, v. c. oculi lubrici, genae collapsae, auditus difficilis, et lingua sicca, brun-

nea, nigra, ariditas et calor cutis mordax, borborygmi, tympanitis, meteorismus, alvus stipata aut nimis laxa, urina iumentosa, turbida, retenta, haemorrhagiae, aphthae, decubitus etc.

Cutis et membranae pituitariae in omni hac inflammatione maxime afficiuntur; inde petechiae et aphthae.

Praeter haec signa, in iis nervosi systematis inflammationibus, quae cum affectione locali coniuncta sunt, varia alia sese produnt, ad ipsam simplicis inflammationis naturam non pertinentia.

In secundo stadio contagium, proventus inflammationis (*das Product*), qui in primo stadio inchoabatur, absolvitur, et ad eiectionem aptatur. Proventus iste, *contagium*, imponderabilis est, neque nisi effectu, vi inficiendi qua pollet, et vehiculo, quo in tertio stadio e sphaera corporis eliminatur, sudore, interdum et odore cognoscitur.

Contagium hocce, ab inflammatione genitum, naturae eius prorsus analogum est eiusque indolis et essentiae, fuerit quantitativa an qualitativa; v. c. typhus simplex, typhus cum variolis, cum scarlatina, peste etc. contagii natura semper ea est, quae inflammationis.

Stadium tertium.

Stadium tertium seu *criticum* vel crisis ab illo inde momento incipit, quo productum inflammationis, contagium, plerumque in vehiculo sudoris exhalari coepit et ad perfectam usque et absolutam criticam exhalationem, septem ad novem dies durat.

Per plures ergo dies exhalatio critica continuatur et non nisi cum summo damno et periculo salutis aegroti interrumpitur. Inde metastases ad organa nobiliora aut ad partes externas oriuntur, v. c. mania, coecitas, surditas, sphacelus pedum, recidiva.

Symptomata universalis praeter sudorem naturalem et coenaesthesin consuetam, mentisque liberam conscientiam,

magis in eo cernuntur, quod sensim omnia morbosa signa dispareant, appetitus, somnus recreans viresque corporis redeant etc.

Sensus regenerationis nervorum gratissimus cum summa eaque tenerrima sensibilitate eorum coniunctus primis post crisis perfectam diebus, ostendit, nervosum systema re vera morbi sedem fuisse.

Interdum fit crisis per alvum aut pulmones simul.

In hoc stadio infectio facillime fieri potest.

V.

De chronica universi systematis nervosi inflammatione.

Chronica nervosi systematis inflammatio raro occurrit, cum irritationis inflammatoriae typum potius servet, quam verae inflammationis.

Haud raro tamen chronica inflammatio universalis nervosa in primo stadio occurrit, iisdemque tum, modo mitioribus cernitur symptomatibus quibus acuta, v. c. in plithisi pulmonali, febre hectica nervosa a moerore, nostalgia, desiderio etc. orta.

Caeterum stadii eius, in quo chronicam indolem assum- sit, symptomata prae se ferre solet, verum leviora.

Frequentius in partibus singulis systematis nervosi, et nervis occurrit, quam in toto systemate v. c. encephalitis chronica, myelitis chronica etc.

VI.

De partiali systematis nervorum inflammatione.

Partialis systematis nervosi inflammatio occurrit in cere- bro, medulla spinali, gangliis et nervis abdominalibus et in nervis singulis, v. c. faciali, ischiadico etc.

Symptomata *primi stadii localia* sunt: dolor urens, lancinans, calor urens, rubor et turgor vitalis auctus, tumor exiguus, functiones laesae, verum non prorsus suppressae.

Universalia si quae adsunt, febris nervosae signa esse solent.

Secundi stadii signa localia sunt: dolor primi stadii imminutus et interdum prorsus cessans, in cuius locum torpor et gravedo cedunt, nec non functiones magis laesae, quid? quod interdum prorsus impeditae; proventus s. productum huius periodi haud raro lymphæ et pus peculiare esse solent, quae in cerebro, canali medullae spinalis etc. colliguntur.

Tertii stadii signa pro natura proventus diversa sunt: quando pus collectum est, hoc functiones magis adhuc impedit, v. c. paralytin functionem medullae spinalis, nec raro mortem sequelam habet; symptomata tunc ea sunt, quae compressionem cum irritatione cerebri aut medullae spinalis inflammatoria indicant; quodri inponderabiles materiae secretae fuerunt, signa nervosa crisin indicant etc.

Inflammatiō *partialis chronica*, pro natura organi affecti et periodo in qua chronica facta est, symptoma convenientia ostendit, v. c. encephalitis, myelitis chronicae.

VII.

De irritatione inflammatoria systematis nervosi.

Irritatio inflammatoria nervosi systematis aut *universalis* est aut *partialis*, illa universum systema nervosum corripit; haec non nisi partes aut nervos singulos; v. c. cerebrum, nervum sympathicum magnum; nervos ciliares etc.

Naturam et causas huius affectionis supra exposui cfr. p. 7.

Symptomata irritationis inflammatoriae systematis nervosi sunt eadem, quae ineuntis primi stadii inflammationis verae, modo longiore modo brevior tempore decurrunt.

Universalis irritationis symptomata ea sunt, quae febriles accessus stipare solent, modo graviora modo leviora; *localis* vero ea, quae primum stadium inflammationis localis designant.

VIII.

De sequelis inflammationis systematis nervosi.

Sequelae inflammationis universalis et localis systematis nervosi variae sunt.

1. *Mentis perturbationes et alienationes diurnae, Mania, amentia, hebetudo etc.*
2. *Paralyses universales et partiales, v. c. organorum sensuum, oculorum, aurium, pedum, paraplegia.*
3. *Destructiones, indurationes et tumores nervorum.*
4. *Phthisis, tabes.*
5. *Dolores chronici nervorum cum tabe.*
6. *Suppuratio, Gangraena et sphacelus.*
7. *Capillorum iactura etc.*

PATHOLOGIAE
SYSTEMATIS SANGUIFERI
BREVIS ADUMBRATIO.

De organorum sanguiferorum et sanguinis pathologia hic
separatim tractabitur.

A.

DE INFLAMMATIONE ORGANORUM SANGUIFERORUM.

I.

*De natura et functione organorum san-
guiferorum.*

Systema sanguiferum constat e canalibus cavis cylindricis,
qui truncis aliquot maioribus in corde radicanur et inde
ramis, magnitudine sensim decrescentibus per totum corpus
diffunduntur.

Tres igitur partes, e quibus conflatur, sunt: cor, ar-
teriae et venae, quarum hae utraeque frequenter inter se,
neutiquam vero arteriae cum venis, nisi per vasa capillaria
communicant.

Cor musculus cavus est, cuius externa superficies mem-
brana fibroso-serosa circumvestitur et in pericardium conti-
nuatur. Interna superficies membrana tegitur eadem qua
vasa sanguifera in quae continuatur.

Vasa sanguifera e tribus membranis conflantur, quarum
intima serosis seu synovialibus, media fibrosis, externa cellu-
losis similis est.

Utraque vasa, arteriae et venae extremis suis ramis in
vasa capillaria seu *systema plasticum* transeunt.

Nervos accipiunt vasa et cor a medulla spinali et gangliis nervisque abdominalibus.

Venae resorbendi vi pollent.

Vasa regenerantur ex parte, novaque, ope inflammationis, gignuntur, v. c. in pseudomembranis.

II.

De varietate et divisione inflammationis organorum sanguiferorum.

Varia est affectio inflammatoria organorum sanguiferorum; et dividitur

1. Ratione *ambitus* in *universalem* et *partialem*; illa omnia organa sanguifera, cor, arterias et venas corripit, haec nonnisi alterum horum organorum aut partem eorum, v. c. cor, in carditite, arterias, venas, vel singulas arterias aut venas.

2. Ratione partium seu *tunicarum* vasa *constituentium* triplex est, aut membranae *interioris*, seroso-synovialis — aut *mediae* — fibrosa —, aut *extimae* — cellulosa —, aut omnium trium i. e. totius vasis. Prioris exemplum est arteriitis interna; alterius, arteriitis arthritica, aut traumatica, posterioris arteriitis externa v. c. ab ulcere contiguo. Totius exemplum est phlebitis a venaesectione.

3. Ratione *coniunctionis cum causa vel idiopathica* vel *sympathica* est, illa v. c. a laesione, haec ab inflammatione organi contigui s. tunicae adjacentis oritur.

4. Ratione *gradus* est aut *inflammatio vera*, aut irritatio inflammatoria. Huius exemplum est, irritatio inflammatoria arteriarum a menstruatione cessante.

5. Ratione *decursus* aut *acuta* est, aut *chronica*.

6. Ratione *coniunctionis causarum* inter se vel *pura* est vel *complicata*, illa ab una tantum causa, e. gr. a laesione, hydrargyri abusu; haec a pluribus simul proficiscitur.

7. Ratione *partium* aut *systematum* aliorum simul affectorum, vel *simplex* est, vel *composita*, v. c. cum inflammatione membranarum fibrosarum musculorum, uti in phlegmatia alba.

8. Ratione *organorum*, est aut

Inflammatio cordis, *carditis* quae est

- *serosa interna*, i. e. membranae internae;
- *cellularis* s. *muscularis*, i. e. substantiae muscularis cordis, v. c. a laesione;
- *fibrosa* i. e. membranae capsularis fibrosae, v. c. in scoria (rheumatismo) cordis;
- *serosa externa*, nimirum membranae extimae serosae cordis; in cardite quae hydropem pericardii sequelam habet;
- arteriarum, arteriitis;
- universalis;
- partialis;
- interioris, mediae, extimae membranae;
- venarum, phlebitis;
- universalis;
- partialis;
- intimae, mediae, extimae tunicae.

III.

De causis inflammationis organorum sanguiferorum.

Triplex est causarum disponentium et occasionalium inflammationis huius classis

1. *Mechanicae* internae et externae, v. c. laesiones, contusiones, vulnera, v. c. venaesectiones, commotiones cordis, extensiones violentae musculorum abdominalium, m. recti etc., ulcera, compressiones.

2. *Chemicæ* et *physicæ*, v. c. *caustica*, ignis, hydrargyri abusus, pus corruptum s. putridum.

3. *Dynamicæ*, *corporeæ* internæ et externæ, *psychicæ*, v. c. suppressio et cessatio menstruationis, abusus spirituosorum et aromatum; morbi et stimuli morborum metastatici, v. c. exanthema suppressa, scarlatinae, morbillorum, scabiei, refrigeria, nimia intentio virium corporis, contagia, miasmata et venena, — ira impotens, anxietas summa continua, desperatio etc.

IV.

De inflammatione organorum sanguiferorum in genere.

Inflammatiō organorum sanguiferorum, cordis, arteriarum et venarum absque inflammatione sanguinis adesse potest, et plerumque adesse solet.

Quando organa sanguifera inflammantur, aut una aut duæ aut omnes tres tunicae, seu, quod idem est, tota organorum compages inflammari potest.

Cuius tunicae organorum sanguiferorum, pro systematis cui adscribitur indole et natura, propria competit inflammatio, peculiaribus decurrens symptomatibus propriisque proventibus etc.

Quaelibet potest esse vel idiopathica vel sympathica; alteraque alterius esse causa, licet hoc non nisi raro et non nisi ob summam vehementiam locum habeat.

Omnium tunicarum inflammatio simul adesse potest, quod tum potissimum fieri solet, cum organa mechanicè laeduntur.

Sermo hic erit de cuiuslibet tunicae inflammatione in specie et postea de ea, quae omnes simul corripit.

V.

De inflammatione acuta tunicae internae organorum sanguiferorum.

Interna cordis vasorumque tunica serosis aut synovialibus membranis similem esse, cognoscitur partim ex eius structura, partim e functione secernendi liquidi, synoviae seu sero similis, partim et potissimum e proventu in statu inflammato, nimirum lymphae illa plastica, qua inflammatae tunicae internae brevi tempore inter se concresecunt. Similis ergo inflammatio tunicae internae vasorum esse debet inflammationi systematis serosi, et revera est.

Tribus stadiis decurrere videtur, stadiis serosae inflammationis similibus, temporeque fere eodem?

Caeterum in genere praemonendum est, symptomata huius inflammationis nondum extra omnem dubitationis aleam posita esse, cum difficillime cognosci possit, utrum haec inflammatio simplex adsit, an utrum simul tunicae reliquae vasorum inflammatione correptae sint. Saepius vero idiopathica quam sympathica esse solet.

Stadium primum.

Symptomata inflammationis internae serosae organorum sanguiferorum:

1. *Cordis — carditis serosa interna —*

S. localia: sensus caloris, dolor mitis obtusus, interdum paululum urens, continuus, vibratio cordis, diastole imperfecta, breviorque, systole subitanea et imperfecta, pulsus cordis frequens, durus, ingratus aegroto et interdum externe visibilis; interna superficies rubra, percussio pectoris non abnormis?

S. universalia: febris seu sensus febrilis nullus, anxietas fere nulla, respiratio paulo oppressa, pulsus frequens, durus, contractus, quasi rotundus, arteria quippe sanguine

ob cordis imperfectam diastolen non satis repleta instar chordae contractae sese ostendit; facies mutata, tussis nulla, appetitus parum mutatus, sitis aucta, somnus valde inquietus;

2. *Arteriarum. Arteritis serosa interna*

S. localia: calor et ingratus sensus in arteriis, nonnunquam dolor obtusus, urens, arteria tactu duriuscula, pulsus frequens, celer, durus, vibrans, interna superficies arteriarum rubicunda, dolor a trunco ad ramos progrediens.

S. universalia: calor naturalis paululum auctus, appetitus et digestio naturalis, sitis parum aucta, febris nulla, anxietas haud magna, pulsatio omnium arteriarum in extremis digitorum et dentium radicibus animadvertenda, venae sectione nequaquam mitigata, immo aucta; cutis calidior; facies subrubet, oculi splendent.

3. *Venarum. Phlebitis serosa, interna.*

S. localia: caloris et mitis, obtusi, nonnunquam urentis doloris sensus, venae ad tactum duriores et tumentes paululum, inflammatio a ramis versus truncum et cor progrediens, interna tunica rubicunda, motus membrorum impeditus.

S. universalia: calor naturalis auctus, coenaesthesia paululum mutata, paulo post, lenes motus febriles, cutis modo sicca, modo humida; appetitus suppressus, sitis aucta, somnus inquietus, pulsus frequens, durus! Omnia ista symptomata in affectione locali vasorum minoris vehementiae esse solent.

Tempus decursus primi stadii brevissimum et non nisi aliquot diebus, tribus ad septem? absolvi videtur.

Stadium secundum.

Eodem fere forsitan tempore absolvitur secundum stadium?

In secundo stadio cordis, arteriarum et venarum inflammatio hoc commune habet, quod symptomata vi crescant,

lympha spissa — falso pro pure habita — pseudo-membraeque et coagula polyposa in cavis horum organorum gignantur, quae nonnunquam tantae molis sunt, ut transitum sanguinis difficiliorem reddant, quid? quod interdum prorsus impediunt; inde varia nascuntur symptomata, v. c.

in corde palpitatio et anxietas aucta, pulsus irregularis, intermittens, modo pulsus aliquis fortior, modo aliquot pulsus debiliores, aucta cum quovis pulsu frequentia et imminuta vi; quae symptomata motu corporis graviora redduntur, et haud raro remittunt et paroxysmis fortioribus recurrunt. Praeterea symptomata *universalia* primi stadii vehementiora fiunt, novaque accedunt, v. c. motus febriles, nausea, vomitus, sudores, tussis, deglutitio dolens, anacarthasis cardiaca, facies deformis etc.; ad quae, si universa cordis substantia simul corripitur, alia praeterea accedunt signa. cfr. infra.

in arteriis, pulsus vibrans, in locali inflammatione durior supra eam, debilior infra eam; tussis periodica, sputa, pituitosa aut paululum cruenta, respiratio gravior et sonantior.

in venis coagula lymphatica nonnunquam canales tantopere replent, et quasi farciunt, ut non modo omnem sanguinis transitum prorsus impediunt, verum etiam externe tactu instar funiculorum duriorum appareant, caeterum symptomata febris nervosae seu typhi magis sese manifestant.

Stadium tertium.

Stadium tertium non nisi in iis observari potest inflammationibus, quae neque arte maturius extinguuntur, neque nimia pollent vehementia, alias sub finem secundi aut initium tertii stadii lethales fieri solent.

In hoc igitur stadio symptomata aut decrescunt vi et numero, crisisque salutaris per cutem et urinam, sudore, et sedimentis lymphaticis, floccosis etc. subsequitur; aut in

chronica mala abit, quae potissimum a polyposis coagulis proficiscuntur per inflammationem genitis, qualia sunt v. c.

in corde polypi, et turbationes inde oriundae, pulsus irregulares, circulus sanguinis impeditus, et per accessus prorsus interruptus, affectiones spasticae, anxietas, respiratio turbata, asthma, potissimum motu, ascensu scalarum etc., auctum, lypothymiae, asphyxiae, morsque subita.

in arteriis pulsus irregulares, obturationes, coarctationes, concretiones et inde nata totalis arteriarum resorptio pulsusque cessatio, torporque et alia ex affluxu sanguinis interrupto oriunda incommoda.

in venis obstructiones et concretiones. Dilatationes s. varices et aneurismata ab hac inflammatione non nisi tum gignuntur, cum ad tunicam mediam simul transit.

Praeterea haec inflammatio in omnibus stadiis chronica fieri potest, tumque iis symptomatibus insignitur, quae illi stadio propria sunt, in quo chronicam indolem induit.

VI.

De inflammatione acuta tunicae mediae seu fibrosae organorum sanguiferorum.

Haec inflammatio raro idiopathica, saepius sympathica esse solet. Idiopathica a laesione et scoridis stimulis, sympathica ab inflammatione tunicae internae, externae et membranarum fibrosarum vicinarum, v. c. musculorum oritur, v. c. in phlegmatia alba.

Sermo nobis hic est de idiopathica tunicae mediae inflammatione et irritatione inflammatoria.

Tempus decursus acuti huius inflammationis incertum esse videtur?

Cum tunicæ vasorum mediæ fibrosæ indolis sint, patet, symptomata inflammationis earum fibrosæ inflammationi fore similia.

Stadium primum.

In prima periodo organa sanguifera, cor, arteriæ et venæ hæc *symptomata communia* habent, *localia*:

Dolorem; qui fere semper acerbus esse solet, pungens, lancinans, urens, instar ferri candentis per cor et vasa treseuntis, vagus, remittens, haud raro prorsus intermittens, per paroxysmos recurrens, locum mutans;

Calorem urentem, ingrattissimum, organa pervadentem.

Tumorem cum duritie, nequaquam in corde propter situm occultum, in arteriis vero et tactu et oculis animadvertendum, quare turgent in arthritide dura ad tactum vasa.

S. universalia levioris febrilis irritationis scoricae, raro gravioris esse solent, cum doloribus vagis artuum, horripilationibus, cutis calore sicco aut sudore, urina nubeculam suspensam ostendit, etc. Praeterea in specie

in corde palpitatio quam maxime molesta et dolorem acerbum faciens, qui manu impositione et levi compressione mitigatur, venaesectione vero nequaquam, nisi forte interdum ad breve tempus, animi perturbationibus, cutis exhalatione suppressa, atmosphaerae humiditate augetur, et quando silet, revocatur; tussis spastica saepe non adest; respiratio nonnunquam suppressa, pulsus frequens, durus, parvus, vibrans, intermittens, anxietas summa; subito omnia symptomata pausam brevioram aut longiorem faciunt; subitoque omnia magno tumultu rursus irruunt.

in arteriis pulsus vibrans, durus, parvus, frequens, celer.

in venis tumor albus nonnunquam subrubens telae cellulosae adiacentis et cutis.

Caeterum saepissime in hoc stadio chronicam indolem induit et non nisi raro in secundum stadium transit in nostris scilicet terris, saepius in Magna Britannia.

Stadium secundum.

Cum in secundum stadium transit haec inflammatio, — quod raro et non nisi ob maioris vehementiae gradum fieri solet — contiguas simul internas et externas vasorum tunicas, cordisque substantiam corripit, tum symptomatibus compositis inflammationis istarum tunicarum et systematum insignitur, — quae conferas loco, quo de iis disseritur. —

Praeterea in ipsis his tunicis haec potissimum symptomata observantur communia:

Dilatantur et amplificantur tunicae et cum iis organa et canales sanguiferi, in corde eae potissimum partes quae originem vasorum maiorum, imprimis aortae praebent; in arteriis et venis ea praecipue loca, in quibus a recta linea deflectunt aut motu membrorum saepe flectuntur, v. c. in regione axillae, in genu etc., inde aneurismatum et varicum eorumque circorum primae origines nascuntur, qui in vasis capillaribus conspiciuntur et modo arteriosae, modo venosae indolis sunt.

Corrugantur, coarctantur et prorsus concresecunt in locis iis quae praeprius affecta sunt; quae atresiae in omnibus partibus et vasis, ipsaque in Aorta reperiuntur.

Indurescunt et crassescunt, ita ut venarum lumina instar arteriarum aperta tunicaeque aequae crassae appareant.

Interdum *lymphæ* in interna vasorum superficie et post laesiones *pus* in vulneribus vasorum colligitur. Praeterea

in corde inflammatio ad extimam serosam tunicam nonnunquam transit, signaque serosae inflammationis simul animadvertuntur. cfr. infra.

Caeterum tempus decursus huius stadii incerti ambitus est.

Stadium tertium.

In tertio stadio haec inflammatio, nisi morte finitur, alias simul sibi associatur inflammationes et morbos, sequelasque varias infra describendas generat, aut sanatur. De hoc faustiore exitu solo hic brevibus dicam.

Decrescunt symptomata omnia inflammatoria, dolores mitescunt et prorsus sensim disparent, reditque libera artuum mobilitas. Crisis fere semper sudore fieri solet profusiore, nonnunquam gravi acidoque odore foetens, nonnunquam prorsus naturali.

Urina sedimentum rubicundum pulvereum cum mucilagine demittit.

Temporis ambitus huius stadii aliquot circiter diebus describi videtur?

Caeterum in omnibus stadiis haec inflammatio facillime chronica fieri et per longum tempus, menses et annos durare solet. Symptomatibus iisdem fere conspicua.

VII.

De inflammatione acuta tunicae extimae organorum sanguiferorum.

Differt indoles et natura extimae tunicae cordis ab ea, quae vasorum est; in his nimirum cellulosa, in illo serosa est, quare de utraque singulatim dicendum est.

1. De inflammatione extimae tunicae serosae cordis, carditite serosa.

Haec inflammatio in genere prorsus serosae systematis inflammationibus similis est, iisdemque symptomatibus, preventibus, decursu et exitu insignitur. Quare hic non nisi de iis signis, quae cordis inflammationi in specie competunt, sermo erit.

Stadium primum.

Symptomata primi stadii inflammationis *primariae* serosae externae cordis mitissima esse solent, nequaquam vero *sympathicae* i. e. eius quae ab inflammatione membranae fibrosae cordis proficiscitur et cum ea coniuncta est.

Dolor obtusus, continuus, calor ingratus, vibratio modica, diastole non prorsus perfecta, pulsus frequentes, duriusculi, non satis pleni, anxietas praeter sensum ingratum nulla, neo nisi leves motus febriles. Quodsi pericardii membrana serosa simul corripitur, quod facillime et plerumque fieri solet, symptomata paulo fortiora sunt. Caeterum hac stadium ob mitem rerum faciem saepe negligitur; nisi in sympathica violentioris indolis fuerit.

Temporis spatium huius periodi aliquot — tribus? — diebus circumscribitur.

Stadium secundum.

Praeter symptomata serosae inflammationi propria, ab iis primi stadia parum diversa, pro re nata varia in corde animadvertuntur.

Quodsi Lympha plastica exsudatur et totius cordis superficies cum pericardio concrescit, pulsatio minus exacta, fortis, vibrans, stridens, et irregularis sub ipso sterno in scrobiculo cordis et sub costis lateris sinistri auribus et oculis percipi potest; systole enim cordis totum sinistrum thoracis latus fortiter contrahit cum diaphragmate ibi cum peri-

cardio et corde intime concreto; anxietas saepe magna et tensio ingrattissima in regione cordis; interdum per paroxysmos anxietas cum gravissimis symptomatibus pulsu irregulari, tremulo, facie rubra et violacea, loquela interrupta aegrotum aggreditur etc.

In concretionem partiali aut per ligamenta, omnia symptomata mitiora sunt.

Quodsi lympham aut serum circa cor in pericardio in hoc stadio colligitur, symptomata hydropis pericardii nascuntur.

Spatium huius stadii primo haud multum amplius esse videtur, nisi chronicam indolem adeptam fuerit inflammatio, quod plerumque accidere solet.

Stadium tertium.

Stadium tertium huius inflammationis non nisi tum locum habet, cum per lympham plasticam cum pericardio non concrevit, sed lymphae liquidae parva quantitas secreta est.

Symptomata tum sensim mitigantur, lympham excreta resorbetur, urina sedimentum demittit, crisisque aliquot diebus absolvitur.

2. De inflammatione acuta tunicae externae vasorum sanguiferorum.

Haec inflammatio primaria potissimum laesionibus vasorum, secundaria ab inflammatione tunicae mediae vasorum aut partium contiguarum efficitur, et instar inflammationis cellulosa, iisdem symptomatibus, stadiis, proventibus et exitu decurrit; cfr. hoc systema.

In secundo nimirum stadio pus secernitur, quod in tertio aut exitum sibi parit per cutem vel sanam vel laesam, aut resorbetur. In hoc stadio cicatrix vulnerum vasorum formatur.

Quando in aneurismate interna et media tunica rumpuntur, haec, inflammatione fortior et crassior facta, per longum saepe tempus sanguinem continet circuloque eius praesidio est.

Spatium decursus inflammationis cellulosaе, modo longius, modo brevius esse solet.

VIII.

De inflammatione omnium tunicarum organorum sanguiferorum.

Nascitur haec inflammatio vel primario a laesionibus, vel secundario dum ab una tunica ad caeteras transit.

Apparet, hanc toties com̄ agis organorum sanguiferorum inflammationem omnia symptomata trium membranarum communia simul ostendere, eaque de causa maioris vehementiae characterem prae se ferre.

In corde potissimum ipsa substantia muscularis simul afficitur, inde fit, ut pulsus distinctus prorsus fere dispareat, ac non nisi cardiotromos, cordis tremor, undulatio, aut pulsus obscurus, frequentissimus, cum summa anxietate, animi deliquiis, tussi et sputis cardiacis, dolore summo premente et distendente, facie deformi, oculis torvis, deliriis etc. animadvertantur.

In corde, arteriis et venis inde amplificationes et multa alia incommoda, morsque subitanea oriuntur.

In venis symptomata typhi acuti simul cum inflammatoriis localibus sese coniungunt, exitumque funestum breviter minitantur.

Irritatio inflammatoria organorum sanguiferorum, tunicarumque singularum eorum, symptomata primi stadii tantummodo ostendit, nec ulterius progreditur.

IX.

De sequelis inflammationis organorum sanguiferorum.

Variae sequelae inflammationes organorum sanguiferorum habent, quae vel in ipso eorum parenchymate eiusque mutatione morbosa, vel in cavis eorum reperiuntur. Huc pertinent

1. *Amplificatio*, seu volumen auctum (*Vergrößerung*) v. c. cordis; hypertrophia, tunicarum vasorum potissimum venarum, etc.

2. *Dilatationes* (*Erweiterung*) cordis ventriculorum, ostiorum vasorum maiorum, et arteriarum — *aneurismata* —; venarum — *varices* —; extremitatum vasorum sanguiferorum in coniunctione cum vasis capillaribus, tum arteriarum — *cirsi arteriosi* *) —; tum venarum — *cirsi venosi* —.

3. *Coarctationes et concreciones*, v. c. in cordis ventriculis, ostiis vasorum maiorum, valvularum, arteriarum et venarum.

4. *Indurationes* in corde, pericardio et vasis.

5. *Mollities et marcor* organorum sanguiferorum et inde oriunda ruptio.

6. *Tumores et excrescentiae* in cordis et vasorum superficie externa et interna, v. c. verrucae carnea in aorta (obs. auctor.).

7. *Polyposa concrementa* variae magnitudinis et formae, pseudomembranae, quibus canales interdum prorsus obturantur.

8. *Mutationes in osseam substantiam*, v. c. in corde, in arteriis et venis variis v. c. cordis etc.

*) Si tumores qui ab aliis angiectasiae a me Trichocirsi nuncupati fuerunt, adaequatius forsitan *cirsos arteriosos et venosos* appellaveris.

9. *Hydrops* v. c. pericardii, pectoris, et aliae variae sequelae, v. c. obesitas, angina pectoris etc.

B.

DE INFLAMMATIONE SANGUINIS.

X.

De sanguinis natura et dignitate.

Sanguis est liquor rubicundus vi vitali pollens, cordis et vasorum ope in corpore circulans, qui succos nutrientes aequae ac partes corporis resorptas et eiciendas homogenea ratione mixtas continet.

E venis missus in halitum ordorum, serum et cruorem secedit.

Sanguis e pulmonibus redux ad instaurandum corpus idoneus et rubicundior per arterias ad vasa capillaria = systema plasticum — fertur, cuius ope nutritio corporis, se- et excretio variorum humorum perficitur; parsque eius cum resorptis materiis per venas colore ex atro rubente una cum liquore vasorum lymphaticorum ad cor redux, huius contractione ad pulmones fertur, in quibus materias non amplius utiles exhalat, principio aethereo impregnatus per cor in omnes partes corporis revehitur.

Licet venae resorbeant, maxima tamen pars humorum nutrientium et partium corporis resorptarum, ope systematici lymphatici in sanguinis circulum invehitur.

XI.

De varietate et divisione inflammationis sanguinis.

Licet tam varia, quam organorum sanguiferorum inflammatio, sanguinis haudquaquam esse soleat, sequentes tamen species iure distinguuntur:

1. Ratione *causae* vel *quantitativa* vel *qualitativa* est, huius exemplum est inflammatio a contagio v. c. variolarum, illius inflammatio a nimia virium intentione orta.

2. Ratione *nexus cum causa*, aut *primaria* est, v. c. febris inflammatoria a commotione; vel *secundaria*, eadem febris a pneumonia genita.

3. Ratione *coniunctionis causae* alicuius *cum aliis*, aut *pura* aut *complicata* est, huius v. c. exemplum est febris inflammatoria ab ira et commotione orta.

4. Ratione *partium corporis simul affectarum*, aut *simplex* aut *composita* est, huius exemplum est febris inflammatoria cum inflammatione pulmonum, cordis, oculi, cerebri, exanthemate etc.

5. Ratione *decursus acuta* vel *chronica* est, illa legitimo tempore decurrit, haec ultro continuatur.

6. Ratione *gradus* aut *vera inflammatio* aut *irritatio inflammatoria* est, huius exemplum est ephemera inflammatoria etc.

XII.

De causis inflammationis sanguinis.

Causae *disponentes* sunt aetas invenilis, sexus masculinus, plethora universalis, atmosphaera sicca, calida, anni tempus, victus nutriens, potus excitans, medicamina irritantia, animi pathemata vehementiora, vitae genus, etc.

Causae *occasionales*.

1. *mechanicae*, sunt laesiones, commotiones, lapsus, nimia virium artuumque intentio etc.

2. *chemicae*, ambustiones etc.

3. *dynamicae*, tum corporeae, tum psychicae, omnia ea momenta, quae inter disponentes causas enumeravimus, praeterea omnia ea, quae vim systematis sanguiferi augent et stimulant, porro ea, quae nervosum systema nimis irri-

tant, v. c. dolores acerbi continui; contagia, miasmata, venena; animi motus, ira etc.

XIII.

De inflammatione acuta sanguinis.

Legitimus huius inflammationis acutae decursus per tria stadia ter septem dierum esse videtur.

Quodsi per stadia sua decurrit haec inflammatio, *febris inflammatoria* vulgo appellatur, nec ab ea natura et indole discrepat.

Haec inflammatio facile organa alia simul corripit, et vice versa ex organorum aliorum potissimum cerebri et pulmonum inflammatione oritur.

Irritatio inflammatoria a vera inflammatione eo differt, quod in primo stadio subsistit, eiusque modo signa ostendit.

Stadium primum.

Spatium huius stadii septem dierum esse videtur?

Symptomata universalis eadem fere sunt, quae febrem inflammatoriam simplicem comitari solent, nimirum: calor in toto corpore in dies auctus, respiratio non prorsus libera, cita, anhela et calida, pulsus pleni, fortes, interdum frequentiores et duri; cutis et potissimum facies turgore vitali maiori tumens et sanguine suffusa; oculi fulgent, et paululum rubent; labia et paulo post lingua quoque sicca et rubra, nec non nares; sitis aucta, appetitus suppressus, vires in dies magis fractae, artuumque lassitudo; somnus inquietus, in pueris somnolentia; urina rubra; alvus stipata, perspiratio parca, et alia. Verum sensus febrilis nullus, neque deliria, neque crusta inflammatoria in sanguine e venis misso, nisi sub finem huius stadii.

Symptomata localia pauca aut nulla, nisi in compositis; nonnunquam sanguinis e naribus stillatio, capitis gravado aut dolor.

Stadium secundum.

Secundum stadium eodem fere temporis spatio absolvitur, quo primum.

In hoc stadio inflammatio semper ad cerebrum quoque transit, ac encephalitis symptomata simul cum signis propriis sibi coniuncta ostendit.

Quare praeter crustam sanguinis inflammatoriam, febrem, typhomaniam, omnia vehementioris cerebri inflammationis symptomata, potissimum acutissimus capitis dolor, non secus ac compressi nimis cerebri, haemorrhagiarum, facies rubens et turgida, oculi rubicundi et fulgentes, deliria furibunda, vigiliae, insomnia terrificae, arteriae temporales pulsatio, cordis vibratio aliaque primi stadii symptomata cum aucta vehementia.

Utrumque stadium nonnunquam funesto exitu corripitur.

Proventus huius stadii iidem sunt, qui encephalitis et nervosae inflammationis simplicis, quando hoc systema simul corripitur, quod haud raro fieri solet.

Stadium tertium.

Nisi aut congestione sanguinis ad cerebrum infaustus, aut haemorrhagia solutari faustus exitus primis stadiis inflammatio haec terminata fuerit, tertium stadium eodem fere temporis spatio, quo priora decurrere solet.

In atrio huius stadii crisis salutaris plerumque haemorrhagia fieri, tumque universa symptomatum cohors sensim, disparere, et valetudo bona redire solet.

Simul et cutis profusi sudores, et alvi urinaeque deiectio critica, appetitus recurrens, roborque corporis sensim rediens convalescentiae appropinquantis grata signa apparent.

Chronicae inflammationis sanguinis signa eadem fere, verum multo mitiora esse, et compositas potissimum inflammationes comitari solent.

XIV.

Sequelae inflammationis sanguinis.

Inflammatiō sanguinis potissimum tum sequelas varias habere solet, cum composita est, ac organa varia simul corripit, v. c. pulmones, hepar, intestina.

Caeterum coagula et polyposa concrementa in organis sanguiferis sequelae huic inflammationi propriae esse videntur.

PATHOLOGIAE
SYSTEMATIS CUTANEI
BREVIS ADUMBRATIO.

I.

De natura et functione systematis cutanei.

Cutis e quatuor stratis constat, quorum infima, *corium*, *textu pupillari* tegitur; cui insidet *rete Malpighi* s. *textus mucosus*, qui extrema cuticula seu *epidermide* firmatur.

Multis nervis, vasis sanguiferis, lymphaticis, absorbentibus et exhalantibus, nec non folliculis sebaceis, et pilis instructa est.

Functiones eius cernuntur potissimum in exhalandis materiis variis, quae partim corpori non amplius prosunt, partim superficiei cutis illiniendae inserviunt; in absorbendis materiis nutrientibus aequae ac noxiis; ad coercendam nimiam excretionem, et tuendam superficiei corporis integritatem.

Quando prorsus destructa est cutis priori et nativa perfectione nequaquam regeneratur.

Summi momenti ad bonam valetudinem imperturbatam conservandam habenda est.

Ab epidermide nudata, serosae membranae similis est, v. c. serum excernit, et lymphae plasticae ope concrescit cum contigua superficiei, v. c. digiti inter se.

II.

De varietate et divisione inflammationis systematis cutanei.

Variae eaeque diversae solent esse cutis affectiones inflammatoriae, quae vario modo dividi prosunt.

1. Ratione *causae* inflammatio aut quantitativa aut qualitativa; istius exemplum est phlegmone, erysipelas; huius variolae, scarlatina.

2. Ratione *nexus cum causa*, primaria vel secundaria est, v. c. ab inflammatione textus cellulosi, membranae fibrosae, ossis etc. oriunda.

3. Ratione *coniunctionis causarum plurium*, vel simplex vel complicata est, v. c. traumatico-miasmatica a laesione cum scalpello cadaveroso ichore tincto.

4. Rationis *ambitus*, universalis aut partialis est; illius exemplum est erysipelas universale.

5. Ratione *decursus* aut acuta est aut chronica. Furunculus istius, Scabies huius exemplum est.

6. Ratione *stratorum cutis*, aut epidermidis, aut textus mucosi, aut pupillaris aut corii aut omnium simul esse potest. Verum hac ratione incerta omnia adhuc sunt.

7. Ratione *gradus* aut inflammatio vera aut irritatio inflammatoria est, huius exemplum est prurigo.

8. Ratione *exitus* aut definita aut infinita est; exemplum istius est scarlatina huius, scabies etc.

9. Ratione *partium cutis* varia est, v. c. faciei, nasi, menti, verticis, genitalium, ani etc.

III.

De causis inflammationis systematis cutanei.

Ad causas disponentes omnia ea momenta pertinent, quae cutem vel nimis irritant, vel debilitant, vel humores corporis mutant; ad *primam classem* pertinent victus et potus

nimius, nimis excitans etc. ad *secundam* omnes excessus cuiuscunque generis fuerint; refrigeria, mundities neglecta, aeris humiditas, animi motus deprimentes etc. ad *tortiam classem*, alimenta insalubria, corrupta, caseus vefustus, pisces nonnulli, morbosae dispositiones, v. c. scrophulae etc.

Causae occasionales triplicis generis sunt.

1. *Mechanicae*: laesiones; frictiones, compressio, contusiones.

2. *Chemicae*: caustica, acida concentrata, ignis, flamma; pus putrefactum.

3. *Dynamicae*: tum *quantitativae externae*, v. c. sudor nimius, solis aestus, lacrimae acres, pus scrophulosum, puita morbosa, sudor subito suppressus, mundities cutis neglecta, frictiones medicatae variae, emplastra varia etc.; *internae*, cibi et potus nimii, corrupti, nimis excitantes, digestio turbata, aqua impura, refrigeria, morbi, animi motus deprimentes etc. — tum *qualitativae*, nimium

contagia, v. c. variolarum, scarlatinae, scabiei, carbunculi contagiosi etc.

miasmata, v. c. ichor cadaverosus, pus putrefactum, *venena*

animalia, v. c. morsus animalium venenatorum, viperarum, apum, vesparum; cantharides.

vegetabilia, v. c. daphne mezereum, sinapis, euphorbia etc.

mineralia, v. c. arsenicum, hydrargyr. corrosiv. etc.

IV.

De inflammationibus cutis in genere.

Systema cutis omnium saepissime affectionibus inflammatoriis afficitur, fonsque et solum foecundum variarum turbationum valetudinis bonae esse solet.

Acutae cutis affectiones facillime systema nervosum simul corripiant, febrilesque motus cient.

Sedes primaria inflammationum aut in tota cutis compagine est, aut in uno solummodo eius strato, aut textu organico v. c. vasis exhalantibus, folliculis sebaceis etc. Diagnosis hac ratione quam maxime difficilis adhuc et incerta est.

Universa eaque satis magna formarum inflammationis cutis copia in duos ordines dividenda, utraque rursus in duas classes subdividenda est, ut facili negotio omnes distincte et uno intuitu complecti possimus.

Primus ordo continet inflammationes quantitativas, secundus, qualitativas; uterque duas classes: definitarum unam, infinitarum alteram habet.

V.

ORDO PRIMUS.

Inflammationes cutis quantitativae.

Classis prima.

Inflammationes definitae, s. circumscriptae.

Inflammatiō definita ea est, quae decursum suum per stadia ita absolvit, ut re vera finita sit, v. c. variolae, furunculus.

1. *Inflammatiō traumatica s. phlegmonē*, quae cum
 - a *mechanicis causis* oritur, cellulosae inflammationi prorsus similis est, verum, cum
 - a *chemicis causis*, ambustione proficiscitur, longiore decursu, profusiore lymphae excretionē, cicatricibus inaequalibus et ad luxuriam pronis distinguitur
2. *Epidermitis s. inflammatiō cuticulae cum organis eam secernentibus in panaritio primae classis*, quae collectione lymphae circumcirca effusae sub epidermide novaque



sub vetere toties formata, quoties lymphæ sub ea collecta emittitur, cum nisu utriusque veteris et novæ concrescendi in marginibus, post abscissam partem veteris epidermidis etc. ab aliis distinguitur inflammationibus.

3. *Furunculus*, s. inflammatio glandulæ sebaceæ a materia noxia interna, quæ per exhalationem cutis eiici nequit, tribus stadiis, diebus circiter ter septem decurrens, quæ primo stadio dolore acerbo, rubore subfusco et tumore circumscripto; secundo tumore acuminato, in medio flavo, rubore obscuriore, doloribusque acutis; tertio stadio eiectione puris, una cum matrice, cicatrice haud raro paulo depressa dignoscitur.

4. *Carbunculus*, non contagiosus, est inflammatio glandulæ sebaceæ et cutis ipsius a causa interna, materia infesta, quæ ob indolem peculiarem exhalatione eiici nequit, profecta, cum propensione ad gangraenam, brevi plerumque tempore decurrens. Incipit cum dolore acerbo, urente moxque in tumore duro, circumscripto, in medio obscure rubro vesiculam incanam ostendit, brevi saniem fundentem et circum cutem erodentem, cum fundo impuro et matrice gangraenosa albida, quæ partes vicinas infectans vires corporis sub febrili affectione brevi exhaurit.

5. *Erysipelas* s. inflammatio organorum exhalantium cutis, aequæ ac nervorum apparatus, novem circiter diebus per tria stadia decurrens, in primo, rubore rosaceo sub tactum evanescente non circumscripto, calore, dolore tendente, tumore ab initio parvo, mox crescente; in secundo summo tumore elastico, splendente, dolore urente, tendente, superficiali, rubore paulo magis saturato, squalidiore et haud raro bullis lymphæ repletis distinguitur; tertio stadio, tumor, dolor, rubor calorque sensim evanescent, bullæ exsicantur squamasque formant, quæ sensum ingrâtissimum tensionis efficiunt. Interdum ab una parte ad alteram eamque vicinam serpit (*E. serpens*), interdum ad remotos transsilit (*E. erraticum*). Quodsi subito reprimatur, aut subiacen-

tes partes, textum cellulosum, periosteum etc. corripit ibique aut suppurationem et alias turbas, ciet aut partes nobiliores afficit; quodsi vero epithematibus humidis in secundo stadio curatur, gangraena oritur, etc.

Nonnunquam totam corporis cutem simul corripit.

6. *Herpes*. Inflammatio cutis, vesiculis in areola inflammata confertim efflorescentibus conspicua, ab initio lymphæ, post pure repletis et diebus novem circiter ad bis septem usque exsiccatis; haud raro cum turbatione febrili, doloreque pungente in partibus affectis stipatis. Species huius inflammationis sunt: *Herpes phlyctænodes*, *circinatus*, *labialis*, *praeputialis*, *iris*, et *zoster*, de quo singulatim quaedam addenda sunt.

7. *Zoster s. zona*, inflammatio circumscripta partis cutis in forma semicirculari aut circulari manusque latitudine lumbos, regionem hypochondriacam plerumque ambiens, ter septem circiter diebus decurrens, quæ primo stadio sub acerbo, urenteque dolore maculas rubicundas insulares ostendit, in secundo stadio vesiculas ab initio pellucidas et splendentes post flavescentes et luridas, lentis magnitudine in formam insularum separatarum distinctas, quæ in tertio stadio exsiccantur et in escharis decidunt. Plerumque motis febrilibus et affectionibus gastricis stipantur.

8. *Urticaria*, irritatio inflammatoria cutis, tumoribus nunc rubore distinctis, nunc non, aequalibus, paululum elatis, quasi a caesa urticis cute conspicua, cum doloribus urentibus, eodem plerumque die sine desquamatione decurrens. Species: *U. febrilis*, *evanida*, *perstans*, *conferta subcutanea*, *tuberosa*.

9. *Pemphigus*. Febris bullosa, inflammatio cutis quæ bullæ hic illic magnitudine pisi aut nucis juglandis, cum pruritu urente erumpunt, modo cum, modo sine febrili motu, aliquot horis lymphæ replentur et post aliquot dies aut rumpuntur aut exsiccantur, et sine cicatrice sanantur.

10. *Pompholyx*. Bullae, sine inflammatione erumpentes, post aliquot dies ruptae et sanatae. Species: *P. benignus*, diutinus, solitarius.

11. *Miliaria*; inflammatio cutis s. exanthema in variis cutis partibus aut in tota cute diffusae papulae, vesiculae nodulique asperi, discreti forma seminis milii, liquore seroso repleti, post aliquot dies sponte evanescentes; interdum saepius recurrentes aut chronicam indolem induentes.

12. *Varicellae*: Vesiculae parvae sine febre passim erumpentes, lymphae repletae, aliquot — tribus — circiter diebus exsiccatae et tenui eschara desquamatae. Variam formam ostendunt et nonnunquam levis affectio febrilis eas comitatur. Species sunt: *V. lenticulares*, conoides, globatae.

13. *Petechiae*, vix irritationis inflammatoriae nomine insigniendae cutis maculae vario colore et magnitudine conspicuae, rubrae, purpureae, brunneae, lividae etc. haud raro febres comitantur aut a cutis functione turbata oriuntur.

14. *Aphthae*, albicantes secretiones sub epidermide membranarum mucosarum, ad pathologiam systematis pituitarii pertinent, quod valet de ulcere gangraenoso labiorum, quod *Noma* nuncupatur, de quo infra.

VI.

Classis secunda.

Inflammationes quantitativae infinitae s. non circumscriptae.

Infinitae inflammationes eae sunt, quae decursu per stadia absoluto, aut ne absoluto quidem prorsus, semine seu causa qua ortae sunt, adhuc vigente denuo semper excitantur. Possent quoque coacervatae seu catervariae nuncupari, quoniam plerumque catervatim i. e. plures eruptiones, vesiculae, papulae etc. simul et in agmina collectae apparent. Primariae formae harum affectionum nondum satis accurate

cognitarum et distinctarum sunt, (secundum Willan et Bateman).

1. *Papulae.*

a. *Strophulus*, papulae parvae magis minus rubrae, nonnunquam paululum lymphae continentes, mox resorptae, et postea desquamatae infantes potissimum infestantes. Species sunt: *St. intertinctus*, albidus, confertus, volaticus et candidus.

b. *Lichen*, papulae parvulae, nonnunquam cum affectione ventriculi aut febrili erumpentes, latiusque serpentes, eschara furfuracea desquamatae, mox recurrentes, non contagiosae, adultos potissimum afficientes. Species sunt: *L. simplex*, *pilaris*, *circumscriptus*, *agrius*, *urticatus*.

c. *Prurigo*, papulae cum pruritu vehemente erumpentes, colore a cute parum diverso, tam parvulae ut oculos saepe fugiant scabendo magis prolicitae. Species: *P. mitis*, *formicans*, *senilis*.

2. *Squamae.*

a. *Lepra*, (Graecorum) squamae a parvis eruptionibus cutis s. textus mucosi oriundae e lamellis opacis crassioribus epidermidis constantes plerumque in figuram orbicularem cum margine inflammato serpentes, quibus demtis cutis rubra, laevis et splendens apparet, cum turbata constitutione, quod de sequente quoque valet. Species sunt: *L. vulgaris*, *alphoides*, *nigricans*.

b. *Psoriasis*. Squamae eiusdem indolis, plerumque cum rhagadibus cutis, figuris irregularibus discretae aut confluentes sine margine inflammato, haud raro per intermissiones recurrentes secundum anni tempora et lunae vicissitudines. Species sunt: *P. guttata*, *diffusa*, *gyrata*, *inveterata*, *labialis*, *ophthalmica*, *scrotalis*, *palmaris*.

c. *Pityriasis*. Squamae minimae, tenuissimae albae, furfuraceae in figura irregulari, post desquamationem recurrentes, nonnunquam cum pruritu cutem rubram aut icho-

rosam sub iis ostendentes. Species: P. capitis, rubra, versicolor.

d. *Ichthyosis*. Squamosa dura et rauca induratio superficiei cutis sine desquamatione et constitutionis turbatione, apparet in maculis magnis, continuis, rubore circumdatis, totam interdum cutem contegentibus, ab initio colore squalido, postea nigricante, rugosa, sulcis distinctis nonnunquam albidis. Species: I. simplex, cornea.

3. *Exanthemata*.

a. *Roseola*. Exanthema rosaceum, varium, sine tumoribus, febriles motus comitans, non contagiosum, maculis maioribus et magis irregularibus quam morbilli conspiciunt. Species: R. aestivum, autumnale, annulatum, infantile, variolosum, vaccinum, miliare.

b. *Purpura*. Exanthema maculis parvulis purpureis constans cum affectione universali athenica, per echymosin sanguinis sub epidermide ortis, quae vulgo petechiae nominari solent. Species: P. simplex, haemorrhagica, urticans, contagiosa?

c. *Erythema*. Exanthema symptomaticum rubore paene continuo partis cuiusdam cutis conspicua, cito evanescens, cum turbatione constitutionis, non contagiosum. Species: E. fugax, laeve, marginatum, papulatum, tuberculatum, nodosum.

4. *Bullae*, cfr. inflammationes definitae; Pemphigus et Pompholyx.

5. *Pustulae*.

a. *Impetigo*. Pustulae parvulae (psudracia), pure repletae inflammatione cutis genitae, saepe in escharam exeuntes, nonnunquam serpentes circumcirca dum media areola sana epidermide induitur, non contagiosae et sine febre. Species: I. figurata, sparsa, erysipelatodes, scabida, rodens.

b. *Porrigo*. Pustulae flavescentes quae favi et achores nominantur, escharas faciunt et sine febre, verum contagiosae sunt. Species: *P. larvalis*, *furfurans*, *lupinosa*, *scutulata*, *decaluans*, *favosa*.

c. *Ecthyma*. Pustulae inflammatae, quae phlyzacia dicuntur, distinctae, sine febre et contagio. Species: *E. vulgare*, *infantile*, *luridum*.

6. *Vesiculae*.

a. *Rupia*. Vesiculae latae, planae, discretae, in basi paululum inflammatae, quae ruptae escharas tenues relinquunt, rursusque erumpunt. Species: *R. simplex*, *promineus*, *escharotica*.

b. *Miliaria*. Vesiculae, figuram seminis milii referentes, symptomaticae, discretae, rubore levi circumdatae, lympham repletas, ab universali affectione morbosa, aut locali profectae.

c. *Eczema*. Vesiculae sine inflammatione et febre confertim interdum cum dolore pungente erumpentes, non contagiosae, potissimum calore nimio in cutem agente genitae. Species: *E. solare*, *impetiginoides*, *rubrum*.

7. *Tubercula*.

a. *Vitiligo*. Tubercula laevia, alba, splendentia, intermixta cum papulis non suppurantia, decalvantia, in variis corporis partibus obvia, quae postquam evanuerunt maculas albas in cute relinquunt.

b. *Acne*. Tubercula parvula, rotunda, dura quae per inflammatas obturatas glandulas sebaceas cutis formantur, pus gignunt quod resorbetur post aliquod tempus sine eschara remanente, nonnunquam punctis nigris distinctae, sebum in forma vermium continent. Species: *A. simplex*, *punctata*, *indurata*, *rosacea*.

c. *Sycosis*. Tubercula eadem in partibus corporis crinibus tectis, mento etc. erumpentia. Species: *S. menti*, *capillitii*.

d. *Lupus*. Noli me tangere, Herpes exedens. Tubercula, aut rhagades, quae super nasum et circa eum oriuntur, et in ulcera mutata, modo lente modo cito partes circumcirca et in profundum exedentia ne ipsis ossibus quidem parcent.

e. *Elephantiasis* recentiorum. Auctum volumen induratae cutis et telae cellulosaee pedum, enormem in modum, cum mutata aspera squamosa nonnunquam superficie, quae ab irritatione inflammatoria membranarum fibrosarum oritur.

f. *Framboesia* (Yaws). Tubercula parva sensim crescentia pure repleta, quae cum rumpuntur fungosas excrementias rubras ostendunt instar framboesiarum.

g. Morbi cutis huic vel illi terrae proprii v. c. Lepra taurica, — *krimmische Krankheit* — ; L. norvegica — *Radeseuche* — ; L. mediolanensis s. italica — *Pellagra* — ; L. holsatica — *Marschkrankheit* — et alii plures ad pathologiam generalem non pertinent.

Verrucae simplices inflammationes non sunt; *clavi* — *Hüneraugen* — ad morbos systematis fibrosi pertinent; *Corneae* excrescentiae cutis ad sequelas inflammationum pertinent.

VII.

ORDO SECUNDUS.

Inflammationes qualitativae cutis.

I. *A contagiis.*

a. *definitae.*

1. *Variolae verae*. Pustulae numerosas cum febre erumpentes tribus stadiis cum desquamatione ter septem diebus decurrentes — et nodulo duriusculo conspicuae post septimum circiter diem pure repletae, quod profluit aut exsiccatur, cicatrices post se linquentes; odore peculiari praeterea dignoscitur et inficit hoc exanthema.

2. *Variolae vaccinae.* Pustulae sparsim in loco insitionis et alibi prorumpentes, in medio depressae, albido aut perlaceo colore, ab initio lymphae, post pure repletae; post nonum diem lata rubra areola circumdatae, cum febrili motu levi, quae post diem decimum quartum circa exsiccantur et aliquot, septem circiter dies post, escharis brunneis desquamantur; — ter septem circiter diebus tribus stadiis decursus finitur.

3. *Scarlatina.* Exanthema per tria stadia decurrens, maculis laevibus irregularibus aut papulis rubicundis cum febre et angina erumpens sensim decrescens et cum desquamatione epidermidis finiens; saepe oedema sequitur, aut hydrops.

4. *Morbilli.* Exanthema, quod praeviis symptomatibus catarrhalibus, sub forma papularum aut macularum rubrarum, seminum lini figuram referentium, saepe confluentium efflorescit, per tria stadia, novem circiter diebus exsiccatione et plerumque desquamatione terminatur.

5. *Rubeolae.* Exanthema quod maculis irregularibus paulo obscurius rubentibus quam scarlatina cum febricula, sine catarrho, subito simul in diversis corporis partibus erumpit et post 4—7 dies disparet. Interdum pustulae albicantes in maculis mediis sese ostendunt.

6. *Anthrax,* s. carbunculus contagiosus, primo stadio se ostendit pustula dura sicca, vesicula, aut macula nigra cum dolore urente, rubro margine s. areola et tumore mox ad partes vicinas progrediente; stadium secundum fundum impurum aut gangraenosum, et margines tumentes duros cito circumcirca dilatatos exhibet; simul sitis magna, nausea, respiratio anxiosa et febris typhosa accedunt, viresque mox exhaurit nisi iusta medela adhibita fuerit.

b. *infinitae.*

1. *Scabies.* Psora. Pustulae seu vesiculae cum pustulis mistae, prurientes, sine febre, potissimum articulis manus,

digitorum etc. prorumpentes, et exsiccatae rursus in partibus vicinis, contagio affectis oriundae. Species: S. papuliformis, lymphatica, purulenta, cachectica.

2. *Ulcera, et impetigines syphyliticae (lepra, psoriasis, lichen, prurigo, Scabies, purpura s. spilosis)* Symptomata cuique competentia cum colore rubido etc. habent.

II. A miasmatis.

1. *inflammatio miasmatica*, v. c. a laesione cum scapello ichore cadaveroso tincta. *Symptomata localia*: dolor urens, rubor pallidus, postea lividus et violaceus, tumor circumscriptus, durus, lymphae serosae magna copia excreta, fundus ulceris chronici impurus, nonnunquam gangraena et sphacelus. *Symptomata universalia*: motus febri-les, dolores capitis, torpor et rigiditas artuum, glandulae lymphaticae tumentes, nausea, digestio turbata, paralysis, et interdum mors.

2. *inflammatio* a pure putrescente, instar acidorum et causticorum exoritationes et dolores urentes cum suppuratione superficiali efficit;

3. *noma*, inflammatio gangraenosa labiorum potissimum a parvula pustula albicante incipere et brevi tempore labia et partes vicinas faciei destruere, nec raro lethalis fieri solet; a miasmatis in sanguinem resorptis oritur.

III. A venenis.

a. *animalibus*. A morsu et punctione animalium venenatorum.

1. *inflammatio* a morsu viperarum. *Symptomata localia*: dolor quam maxime urens, a parte laesa subito ad totum corpus propagatus; tumor magnus elasticus, cito oriens, ruborque; pus, quando secernitur, ichorosum, vesiculae in margine duro, elatoque et tumore oedematoso circumdatae, maculae magnae, incanae, lividae, algor membri,

gangraena. *Symptomata universalia*, magis minusve gravia, pro virus vehementia; febris, anxietas, respiratio difficilis, sudores frigidi, pulsus contractus, frequens; inaequalis, intermittens, sedes frequentes, dolor in regione umbilicali, visus turbatus, icterus, deliria etc.

2. *inflammatio a punctionibus vesparum*, apium etc. *Symptomata localia*: dolor urens, vehemens, rubor saturatus, obscurus, circumscriptus, tumor durus circumscriptus, nonnunquam erysipelas. *S. universalia*: febris, deliria, paralysis, mors.

3. *inflammatio ab erucarum, formicarum tactu* etc., dolor urens, tumor subito oriens splendens, oedematodes etc. nausea, motus febriles etc.

4. *inflammatio a cantharidibus*, levis rubor, pruritus et dolor leviter urens, mox vesiculae aut bullae lymphae repletae, cito ruptae, sub quibus nova mox epidermis sine cicatrice generatur.

b. *a venenis vegetabilibus*, v. c. Daphne mezereum, euphorbia, ranunculis, taxo etc. *Symptomata*: rubor, dolor urens, tumor haud magnus, lymphae sub epidermide collecta, vesiculae, excoariatio, pustulae etc. *Ab urticis* dolores urentes, rubor cutis cum tuberculis latis, rotundis, aequalibus, parum elatis.

c. *a venenis mineralibus*, v. c. arsenico, hydrargyromur. corrosivo; Venena mineralia, nisi caustica sunt, cutem epidermide tectam haudquaquam afficere solent — hac vero denta inflammationem phlegmonodem cum doloribus gravibus, magno tumore, rubore saturato et suppuratione mox et haud raro gangraena insequente efficiunt.

Ungues, cutis quasi appendices et forsitan etiam crines interdum inflammantur, v. c. in caconychia, qua sensim deformantur et destruuntur.

VIII.

Sequelae inflammationis cutis.

Sequelae inflammationum cutis pro natura et diversitate affectionis inflammatoriae diversae esse solent, et aut in diminuta et destructa, aut aucta aut deformata cute cernuntur. Ad priores sequelas pertinent, cicatrices profundae, contractiones, corrugationes etc., ad secundas, excrescentiae, verrucae, tumores etc., ad tertias omnes deformitates a laesa cute oriundae.

HALAE

TYPIS GEBAUERII.





Uhr 56

ULB Halle

3

000 977 535




D.

ht







CARO
PH
MEDICINAE E
FAC. MEDIC

INFL
SY

C
SUCCI


PROSTAT LIPS

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



RD.
S,
S

